
37
14 B
7

S. EPIPHANIUS

IN


CANTICUM CANTICORUM.

S. EPIPHANI
SALAMINIS IN CYPRO EPISCOPI
COMMENTARIUM
IN CANTICUM CANTICORUM

PRODIT NUNC PRIMUM EX ANTIQUA VERSIONE LATINA

OPERA ET STUDIO

PETRI FRANCISCI FOGGINI.


ROMÆ
TYPIS PALEARINIANIS AN. JUBILÆI CIƆIƆCCL

PRÆSIDUM ADPROBATIONE.

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO

PETRUS FRANCISCUS FOGGINIUS



NEDITA Scriptorum veterum Opera in lucem proferre, quod magnam commendationem utilitatis habet apud ſapientes homines, adeo proprium eſſe videtur eorum, qui Bibliothecarum, in quibus veteres Mſs. Codices adſervantur, curam gerunt, ut ob id potiſſimum præ competitoribus Franciſco Blanchinio, & Philippo Bonarota Vaticanæ Bibliothecæ cura adjudicata olim fuerit Laurentio Zaccagnio, cujus

cujus in eo ſtudii genere excellentiam probatam fuiſſe ferunt ex volumine, quod illi erat ad manus, plura inedita continente veteris Eccleſiæ Græcæ Latinæque monumenta, quæ mox publici juris fecit ſummo bono tum Litterariæ Reipublicæ tum Chriſtianæ.

Itaque quum mihi, BEATISSIME PATER, hoc idem honeſtiſſimum munus deſtinaveris, nulla alia animum ſubit res Tuo de me judicio dignior, & quæ conceptæ de me ſpei reſpondere poſſit magis, ac ſi de proſequenda jamdiu promiſſa, & inchoata, ſed curtæ rei cauſa jamdiu quoque intermiſſa, ineditorum veterum ſcriptorum editione ſatagam; ex quibus quoniam typis jam deſcriptum habere me contingit, quod ut in Latinum verteretur dignum cenſuit AURELIUS CASSIODORUS, & ab HADRIANO Papa I. laudatum reperi, S. EPIPHANII Salaminæ in Cypro Epiſcopi COMMENTARIUM IN CANTICUM CANTICORUM, ut Tibi Majeſtatique Tuæ illud conſecrem, æquo animo feras precor, nam Tibi inſcriptum edidi alium quoque ejuſdem Sanctiſſimi Patris librum DE XII. GEMMIS &c. & novam hanc rapere haveo

occa-

occaſionem Tibi gratum animum meum, & meum, qualecumque eſt, ſtudium, & bonarum artium amorem offerendi ſignificatione publica, & immortali.

Neque vero temperare mihi poſſum, quominus animadvertam, in EPIPHANIO, qui non ſolum verbis & exemplo populo ſibi credito profuit, ſed Eccleſiam quoque, & litterariam Rempublicam ſcriptis ſuis illuſtravit, Tui ipſius imaginem quamdam mihi ſe offerri, BEATISSIME PATER, qui cum Anconæ primum, deinde vero Bononiæ ſanctiſſimis moribus tuis, & optimarum legum ſanctionibus, perpetuiſque ſacris Inſtitutionibus, eam Tibi nominis famam comparaveris, ut toto terrarum Orbe plaudente datum Tibi tandem fuerit ſummum Eccleſiæ totius Imperium cum Romanæ Eccleſiæ Epiſcopatu conjunctum, attamen ſcribendi quoque, edendique ſacræ eruditionis refertos libros nunquam abjeciſti curam, utpote qui a curis gravioribus, & Epiſcopali contentione animum relaxare doctrina, & varietate ſtudiorum ſemper idem conſueveris. Scilicet, quantum ceteris ad ſuas

res

res obeundas, quantum ad honeſtas voluptates, & ad ipſam requiem animi & corporis conceditur temporis, ad tua ſtudia recolenda ſumis, a quibus nulla Te voluptas avocavit, nunquam otium abſtraxit, puto quod ſolatio litteras habens ſolas, tunc ſolum recrearis, quum Te litteris involvis; & aut ſcribis aut legis. Atque utinam de Tuis laudibus dicendi locus hic foret! Licet me neque uſu ſatis, & ingenio parum poſſe ſentiam, argumento tamen veluti auctus, & major me factus, proviſam rem ſequentibus verbis non invitis, operoſa quidem, & doctioribus auribus digna facturum me fore non diffiderem. Verum neque eſt hic locus: neque Tu bene agis, & glorioſe, ut lauderis, ſed ut laudari merearis.

Quamobrem pro ſalute Tua, BEATISSIME PATER, diuturnoque imperio votum ſuſcipiens, & ob inſignem erga me munificentiæ Tuæ effectum Tibi me devovens publice, jam ſacros pedes deoſculor, & ineuntem ANNUM JUBILÆI pro Tuis meritis, pro publicis votis Deo Tibique placentem auguror. Exoriatur ille fauſtus, fortunatuſque: exeat feliciter.



PRÆFATIO EDITORIS

PARS I. *De Auctore Commentarii in* CANTICUM CANTIC. ex Bibliotheca Vaticana *hic primum editi*.



NTE hos ſex annos S. EPIPHANII Salaminæ in Cypro Epiſcopi librum *De duodecim gemmis Rationalis ſummi Sacerdotis Hebræorum*, qui jamdiu pro deperdito habebatur, qualem in Bibliotheca Vaticana eum reperi ab antiquo interprete Latine verſum in lucem edidi; nunc vero ex eadem Bibliotheca, & ex antiqua pariter verſione Latinum publici juris facio aliud ejuſdem Sanctiſſimi Auctoris ineditum opus, nimirum breve quoddam in CANTICUM CANTICORUM Commentarium, quod genuinum S. EPIPHANII fetum eſſe, ideoque plurimi faciendum, non uno comprobatur teſtimonio.

S. EPIPHANII liber in CANT. CANTIC. in Bibl. Vat. repertus.

Commentarium in Canticum Canticorum, & quidem breve, quale eſt illud, de quo loquimur, a S. EPIPHANIO Cyprio exaratum fuiſſe, diſertis verbis teſtatur AUR. CASSIODORUS, quinti & ſexti Eccleſiæ ſæculi orna-

Genuinum eſſe S. EPIPHANII opus probatur teſtimonio CASSIODORI.

mentum, qui etiam tradidit fuisse sibi curæ, ut illud in Latinam linguam ab EPIPHANIO Scholastico, disertissimo viro, amico suo verteretur: S. EPIPHANIUS, inquit[1], *Antistes Cyprius totum librum*, (idest Canticum Cantic.) *Græco sermone uno volumine sub brevitate complexus est. Hunc nos, ut alios, in Latinam linguam per amicum nostrum virum disertissimum* EPIPHANIUM *fecimus, Domino juvante, transferri.*

Item testimonio HADRIANI Papæ I.

Præterea HADRIANUS Papa I. in libro, quem contra Nicænæ Synodi II. oppugnatores scripsit ad Carolum Regem, non solum idipsum de S. EPIPHANIO tradit, nimirum scripsisse eum in Canticum Canticorum, sed insuper locum integrum, ex eo ipso S. EPIPHANII libro recitat, & quidem ipsissimis verbis expressum, quibus utitur versio, quam edimus, itaut HADRIANUS non solum testis nobis sit, S. EPIPHANIUM in Canticum Canticorum Commentarium aliquod scripsisse, sed etiam hoc ipsum esse, quod hic modo vulgamus Latine versum in Canticum Canticorum Commentarium, & præterea hac ipsa eum esse usum Latina ejus versione. Sed ipsa HADRIANI verba adferamus[2]. Oppugnatores Nicænæ Synodi reprobaverant, quod Synodus ad SS. Imaginum visionem comprobandam adtulerit illud Cantici Cantic. c. v. *Ostende mihi faciem tuam, auditam fac mihi vocem tuam, quoniam vox tua suavis, & facies tua speciosa*. HADRIANUS Papa reprehensionem hanc confutat S. EPIPHANII auctoritate, & ita loquitur: *Recte illud protulerunt, quia visio sacrarum imaginum ad speciosam formam Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi secundum carnem, Sanctaque ejus Genitricis, & Sanctorum pertinet. In persona enim Christi & Ecclesia diversa SS. PP. opuscula in Can-*

(1) AUR. CASSIODORUS *de Institutione Divin. Litterar. cap. 5.*

(2) V. Epistolarum Rom. Pont. ed. Rom. 1591. tom. 2. pag. 723. Concil. HARDUINI tom. 4. col. 783. edit. Paris. ann. 1714.

Cantica Canticorum explanata sunt, & si quomodo intelligendum est, scire velint, S. EPIPHANII *Episcopi Cyprii proferimus expositionem, in qua inter multa diversa, inquit: Ostende mihi faciem tuam & auditam fac mihi vocem tuam: hoc est, per Legem & Prophetas non mihi loquaris, sed temetipsum totum mihi demonstra: sicut & Moyses tali desiderio comprehensus, fiducialiter dicebat ad Deum:* Ostende mihi teipsum, ut te videam. *Sed tunc quidem dixit Moysi:* Nullus videbit faciem meam, & vivet. *Sponsa autem sua volens semetipsum ostendere, incarnatus ei se induto corpore demonstravit; per virtutis modum, per sustentationem, & innocentiam tradens ei pietatis aspectum. Ostendit igitur ei faciem suam conceptus in Dei genitrice virgine: & audire eam fecit vocem suam, cum doceret in Oliveti monte discipulos, & rursus dum per eos in universum orbem terrarum prædicationis dogmata destinasset.* Quoniam vox tua suavis, & facies tua speciosa. *Vox ejus vere suavis est, quæ dixit:* venite benedicti Patris mei: *vox tua suavis:* hoc est, *quæ cæcos videre fecit, cum diceret:* secundum fidem vestram fiat vobis: *vox tua suavis, idest, dicendo:* venite ad me omnes, qui laboratis &c. *vox suavis est dicens paralytico:* surge, tolle grabatum tuum, & ambula: *vox suavis est dicens.* Confide fili, remittuntur peccata tua. *Vox tua suavis est dicens.* Confide filia, fides tua te salvam fecit: vade in pace: *& alia plura, quæ per ordinem exarare longum est.*

Verum enim vero ipsius etiam Vaticani Codicis auctoritatem, ubi hoc in Canticum Canticorum Commentarium sub EPIPHANII nomine descriptum est, gravissimam puto, & plurimæ fidei [1]. Scilicet Vatic. ille Codex sub Num. (Item auctoritate Codicis Vat.)

b 2

(1) Etiam in edito Indice Bibl. Regiæ p. 627. inter Collectanea Bigotiana in 8. Cod. 3092. recensetur S. EPIPHANII *expositio in Canticum Canticorum*. Inscius tamen cujus pretii sit Codex ille, & quid vere contineat, illum hic solummodo memorandum duxi.

Num. MMMMMDCCIV. adſervatus tantæ eſt antiquitatis, ut millenariam ætatem præſeferre videatur. Membranarum forma eſt quadrata, litterarum autem jamdiu exhibuit ærea tabula inciſam in ſuis *Canonicarum Scripturarum Vulgatæ Latinæ editionis vindiciis* [1] multigena eruditione multiſque editis promiſſiſque libris ſpectatiſſimus vir, Josephus Blanchinus Congregationis Oratorii Romani Presbyter, cui quoque fuit olim conſilium edendi hoc Commentarium una cum expoſitione S. Hippolyti in Danielem, & libro S. Athanasii *de titulis Pſalmorum*, quem tandem Litteratorum commodo publicæ luci donavit [2], Romanæ aulæ Præſul Illuſtriſſimus, optima qui fruitur & meritiſſima apud omnes fama ob ſingularem doctrinam virtutemque ſuam, Nicolaus Antonellus. Sed tam antiquæ ſcripturæ juvat hic quoque ſpecimen dare, & tale eſt.

haec autem omnia faciens eccle
sia recte dixit in umbra eius con
cupiui et sedi· Lex enim umbram
habuit futurorum bonorum· se
cundum quod ait apostolus· unde
consequenter edicit

Demum

(1) Josephus Blanchinus in *Vindiciis Canonic. Scriptur. vulg. Lat. edit.* p.293.

(2) S. Athanasii liber *de titulis Pſalmorum* edit. eſt Romæ an. 1746. in fol.

Item ex convenientia cum aliis S. Epiphanii scriptis.

Demum etiam ſcriptionis ratio S. EPIPHANII genio optime reſpondere videtur, quem ex aliis ejus genuinis ſcriptis perſpectum habemus. Breve eſt noſtrum Commentarium, & breves eſſe debere Sacrarum Litterarum expoſitiones S. EPIPHANIUS docet in *Panario* [1]; plurima hic paſſim citantur Sacrorum Librorum loca, & plurima ſic citat in *Panario* S. EPIPHANIUS; demum plures in noſtro Commentario occurrunt ſententiæ, quæ cum ſententiis concinunt in aliis S. EPIPHANII ſcriptis occurrentibus, quod in meis ad hoc Commentarium notis opportune animadvertere non prætermiſi, cum ob id potiſſimum eas adjicere æquum duxerim; alius enim generis notæ nec doctis ſatisfeciſſent viris, neque indoctis: his quia multam lectionem, illis vero quia recoctam aut inopportunam eruditionem faſtidiunt. Hic autem conſiderandam eſſe potiſſimum arbitror præfationem, quæ huic Commentario ab auctore præponitur, & ea, quibus ille univerſo operi finem ponit. Scilicet omnino ſimili orationis genere, & ſimillimis plane ſententiis inchoat, & finit S. EPIPHANIUS tum *Panarii* opus, tum illud *Ancorati*, atque illam digerit Epiſtolam, qua librum ſuum *De* XII. *gemmis* DIODORO Epiſcopo nuncupavit [2]. Cuivis in promptu eſſe poteſt comparatio, nec quivis comparando poteſt eam ſimilitudinem, vel primo intuitu, non ſentire, atque intelligere.

J. Garetii notæ in Cassiodorum opponuntur.

At enim JOANNES GARETIUS Congregationis S. Mauri Monachus, cui optimam debemus CASSIODORI Operum editionem, non EPIPHANIO Salaminæ in Cypro Antiſtiti debuiſſe CASSIODORUM adſcribere breve quoddam in Canticum Canticorum Commentarium cenſuit, ſed PHILONI

(1) V. h. 64. quæ eſt *Origenianorum* §. 40. Oper. tom. 2. pag. 563.

(2) V. FACUNDUM *l.* 4. *c.* 2. & librum *De* XII. *gemmis &c.* a me edit. Rom. 1743.

LONI Epiſcopo Carpaſi, quæ etiam Cypri urbs eſt; quamobrem ad recitatum locum CASSIODORI hanc notam adpoſuit[1]: *Vel potius* PHILO *ordinatus Epiſcopus Urbis Carpaſi in Inſula Cypro a S.* EPIPHANIO *Salamina Antiſtite, ut in ipſiuſmet Sancti vita legitur. Vidi hujuſce Commentarii textum Græcum in manibus V. C. Emerici Bigot cum translatione Latina, cujus hic meminit* CASSIODORUS. *At neutrum hactenus prælo commiſſum eſt.*

Jo: GARETIUS confutatur.

Enimvero GARETIUS ita cenſuit, ſed, ni fallor, nimium facilis. Quemdam PHILONEM in Canticum Canticorum ſcripſiſſe non inficior, ſed hinc nullo modo ſequi video, quod ſimile opus ab EPIPHANIO Cyprio elaboratum non fuerit, & quod CASSIODORUS perperam hujuſmodi opus S. EPIPHANIO Cyprio adtribuerit.

Multa eſſe, quæ probant etiam PHILONEM Carpathium in Canticum Canticor. ſcripſiſſe.

Commentarium aliquod in Canticum Canticorum cuidam etiam PHILONI tribuendum eſſe libens do; quin etiam multa, quæ id comprobant, hic congeram, eo quod nemo adhuc Bibliographorum hanc ſpartam ſtrenue ornaverit. Itaque inſignis lexicographus SUIDAS: *Philon*, inquit, *Carpathius ſcripſit Commentarium in Canticum Canticorum.* Φίλων Καρπάθιος ἔγραψεν ὑπόμνημα εἰς τὸ ᾆσμα τῶν ᾀσμάτων. Præterea COSMAS Indicopleuſtes tria recitat loca PHILONIS Carpathii ex Commentar. in Canticum Canticorum *lib.* 10. *Chriſtianæ Topographiæ*. Adtulerat ſex alios teſtes COSMAS ad propoſitum quoddam ſuum comprobandum, & ſeptimum addens, *Eſt autem ille*, inquit[2], *Philo Carpathiorum Epiſcopus, qui ſex aliis conſona teſtificatur.* ἐστὶν οὖν ὁ τῆς Καρπάθου ἐπίσκοπος Φίλων, τὰ ὅμοια τοῖς ἄλλοις ϛ′ μαρτυρῶν. Ad hæc: genuinum PHILONIS Carpathii commentarium in Can-

(1) Jo. GARETIUS Oper. Caſſiodori tom. 2. pag. 542.

(2) COSMAS Indicopleuſtes *Chriſtianæ Topographiæ* l. 10. in Collect. nova Gr. Patrum &c. Bernardi de Montfaucon tom. 2. pag. 329.

Canticum Canticorum in manibus Emerici Bigot fuisse narrat præter GARETIUM, etiam COLOMESIUS [1], aliique, quorum testimonium ratum fit ex nuper edito indice Mss. Græcorum Bibl. Regiæ, in quam Bigotiani codices confluxerunt; etenim pag. 606. inter collectanea Bigotiana in 8. recensetur cod. 3047. in quo primo loco occurrit: *Philonis Carpathii commentarius in Cantica Canticorum.* Etiam D. ANSELMUS BANDURIUS in conspectu Operum S. Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani [2], inter cetera veterum auctorum opuscula inedita, *Philonis Carpathii in Cantica Canticorum genuina commentaria* emittere in se recepit, utpote quæ, ni fallor, in ipsis Bigotianis collectaneis in Bibliotheca Regia repererat jam digesta. Demum varia fragmenta græca sub PHILONIS nomine occurrunt in Catena Græca in Canticum Canticorum sub EUSEBII nomine edita a Jo. MEURSIO Leidæ 1617. & Florentiæ tom. VIII. Operum Jo. MEURSII pag. 130. necnon in Catena Gr. a PROCOPIO Gazæo exarata, quæ exstat MS. in Bibl. Vatic. Cod. Gr. 1442. & quæ eadem forte est ac illa, quam edere meditabatur Olearius FABRICIO teste [3].

Itaque, tot una simul conspirantibus testimoniis, non liceat, esto, inficiari multos inter veteres libri Cantici Canticorum Interpretes quemdam etiam Philonem fuisse; sed hinc, iterum dico, CASSIODORI auctoritatem, qui eos inter S. EPIPHANIUM reponit, nullatenus destrui, & ne minui quidem crediderim. Neque enim pugnant illa cum CASSIODORO, quum nullo pacto denegent S. EPIPHANIUM in Canticum Canticorum scripsisse, sed hoc unum tradant scripsisse in Canticũ Canticorum PHILONEM. CASSIODORUS quoque

Ex eis tamen male adstrui, quod in Cant. Cantic. non scripserit S. EPIPHANIUS.

(1) PETRUS COLOMESIUS *in Paralipom. de scriptoribus Ecclesiasticis.*
(2) V. Conspectum hunc apud FABRICIUM Bibl. Gr. l. 5. c. 5. n. 25. pag. 640.
(3) FABRICIUS Bibl. Gr. lib. 5. c. 5. p. 259. & c. 17. p. 735.

quoque S. EPIPHANIUM inter Interpretes Cantici Canticorum recensens, haud negat tamen, quod inter eos fuerit etiam PHILO. Stet igitur utriusque partis testibus integra fides, & salva res. Scripsit S. EPIPHANIUS, scripsit etiam PHILO, unusquisque suum in Canticum Canticorum Commentarium.

Immo vero PHILO ex Commentario S. EPIPHANII multa descripsit.

At vero ex eo quod PHILO ex Commentario S. EPIPHANII multa descripserit, fortasse contigit de utriusque Commentarii auctore haud recte fuisse judicatum. Genuinum S. EPIPHANII Commentarium in Canticum Canticorum, quod laudat CASSIODORUS, illud certe esse videtur, quod nobis Vat. Bibliotheca suppeditat; comprobatur enim egregie tale esse HADRIANI I. auctoritate, & antiquissimi codicis, unde eruitur, testimonio. Porro Commentarii PHILONIS fragmenta tum Catena a Jo. MEURSIO edita, tum MS. Vaticana exhibent plurima, tria vero Indicopleustes. Conferantur igitur hæc fragmenta cum respondentibus Commentarii, quod edimus, locis, & facile erit cuique intelligere tum discrimen utriusque operis, tum similitudo, quæ contigit ex eo, quod multa in Commentario PHILONIS sint (epitomata tamen) a Commentario S. EPIPHANII mutuata, & excerpta. Unum & alterum exemplum hic ego adferam.

Quod exemplis probatur.

De Filio Dei, qui cum hominem, quem sibi in unitate suæ personæ conjunxit, accepisset ab Ecclesia, carnem inde suam illi ad communionem retribuit valde notabilis sententia exstat apud S. EPIPHANIUM multa inter ea, quæ commentatur in 1. vers. cap. 1. *Osculetur me osculo oris sui*; & hæc eadem recitatur ex PHILONE in eumdem locum Cantici Canticor. ab Indicopleuste.

S. EPIPHANIUS ut videre est pag. 11. inquit: *Christus & Ecclesia*

PHILO: Filius quippe Dei hominem accepit, quem ab Ecclesia sum-

clesia, cum fuissent duo, facti sunt in unam inviolabilem carnem, adsumpsit enim Filius Dei de Ecclesia totum hominem, quo indutus est, & retribuit ei rursus ad communionem ejus sanctam carnem suam ad percipiendum eum.

sumptum induit, ac ipsi postea vicissim sanctam carnem suam comedendam ad communionem tribuit: *Ἔλαβε γὰρ ὁ μὲν ὑὸς τοῦ θεοῦ τὸν ἄνθρωπον, ὃν ἐνεδύσατο ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας, καὶ ἀνθαπέδωκεν αὐτῇ πάλιν εἰς κοινωνίαν αὐτῆς ἁγίαν τὴν σάρκα εἰς μετάληψιν.*

Præterea en qua ratione S. EPIPHANIUS, & PHILO exponunt illud Canticorum cap. I. v. 7. *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum.*

S. EPIPHANIUS ut videre est pag. 25. *Si enim non cognoveris, ubi fuisti prius, & ubi nunc es, si non cognoveris pulchritudinem, quam percepisti a me;* egredere in vestigiis gregum, & pasce hædos tuos. *Comminativus sermo, & increpativum verbum, ubi enim puritas est, illic increpatio quoque subsequitur; quia enim prædixit,* ne forte efficiar sicut operta super greges sodalium tuorum, *propterea velut comminative increpat ei dicens: Nisi cognoveris pulchritudinem, quam ex me possides, egredere de gregibus tuis, & pasce hædos tuos, hoc est peccatorum animas. Nisi enim cognoveris justitiam per gratiam, quam tibi ego ipse donavi, pasce ha-*

PHILO *in Catena a* MEURSIO *edita, Operum tom 8. col. 146. & in Vaticana &c.*: Tanquam ex parte sponsi pulcram in mulieribus dicit, quoniam in omnibus cœtibus hæc sola pulcra. Si igitur inquit, non nosti ubi eras & ubi es, si minus nosti pulcritudinem tuam, & quod a me ipsam possedisti, exi in calcibus gregum, & pasce hædos tuos. Comminatorius sermo. Si enim indignam teipsam, inquit, constituis mea gloria, pasce hædos tuos, hoc est peccatorum animas in tabernaculis Regum Israel. *Ἕτερος τὸν λόγον ὡς ἀπὸ τοῦ νυμφίου φησὶ πρὸς τὴν ἐν πάσαις ταῖς συναγωγαῖς μόνην οὖσαν. ὅτι γνῶσι τοῦ ἧς καὶ τοῦ*

bædos tuos. In tabernaculis pastorum. *Hoc est super tabernacula Regum Israel, secundum verbum Apostoli clamantis*: si enim illi non effugerunt respuentes eum, qui in terra prædicatus est &c.

τοῦ νῦν εἰ καὶ παρά τινος ἔχεις τὸ κάλλος εἰ δὲ σαυτὴν ἀναξίαν τῆς ἐμῆς δόξης ποιεῖς ποίμαινε τῶν ἁμαρτωλῶν τὰς ψυχὰς ἐν τοῖς σκηνώμασι τῶν τοῦ ἰσραὴλ βασιλέων.

Porro in illud cap.2. v.4. quod Vulgata vertit: *Introduxit me in cellam vinariam*: hæc adnotant:

S. Epiphanius, ut videre est *p.32. Introducite me in domum vineæ, hoc est ad corpus Domini, ac si diceret: Coaptate me ei per lavacrum regenerationis.*

Philo *apud Cosmam Indicopleusten*: Cœlestis Regis penuarium, idest corpus, quod sibi in domum extruxit, deinde vero Regnum cœlorum. Τοῦ δὲ ἐπ' οὐρανίου βασιλέως τὸ ταμεῖον, δηλονότι τὸ σῶμα, ὃ ἑαυτοῦ ᾠκοδόμησεν οἶκον. ἔπειτα δὲ καὶ ἡ τῶν οὐρανῶν βασιλεία.

In illud autem: *Rex vinctus in transcursibus*, quod pertinet ad *cap.7.* Cantici Canticorum *v. 5.* ita scribunt.

S.Epiphanius, ut videre est *p.80. Ipse est itaque Rex, de quo & David dixit*: Dominus regnavit, decorem induit: *Vinctus est autem ipse non sponsæ suæ necessitate, sed voluntate clementiæ, sicut dicebat Apostolus*: Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. In transcursibus *autem dictum est, quia de cælo transcurrens in terram venit, & ite-*

Philo apud Cosmam Indicopleusten: Transcurrens enim a cœlo in terram ac in infernum, imo ad imum inferni descendens, inde mortuum extrahit. *Et quibusdam interpositis*. Vere quippe speciosa facta & firmata est, non virtus deitatis, neque enim accessionem admittit vel imminutionem, sed caro, quam assumpsit, & homo, quem gestavit. Hic

& iterum in infernum transcurrens, & mortuos resuscitans, rursus transcurrens in cœlos abiit, & ascendit super Cherubim & volavit.

Deinde vero in illud quod sequitur: *Quam speciosa facta es, quam suavis:* hæc S. EPIPHANIUS subjicit. *Vere speciosa facta est, & vere suavis non divina virtus [neque enim augmentum recipit nec detrimentum Divinitas] sed humilitas ejus speciosa facta est, atque suavis pulchritudine Divinitatis, cum sedisset in Regno Cælorum in dextera Patris.*

Hic speciosus factus est decore divinitatis ad similem formam redactus, atque firmatus in Regno Cœlorum in dextera Dei. Παραβρέχων γὰρ ἐξ οὐρανοῦ ἐπὶ γῆς, εἰς τὰ καθ' ᾅδην, καὶ κατώτερον ᾅδου βυθὸν κατελθὼν, ἐκεῖθεν ἀναπσάσει τοὺς τεθνεῶτας. ὡραιώθη γὰρ ὄντως καὶ ἱδρυώθη, οὐχ ἡ τῆς θεότητος δύναμις· οὐ γὰρ προσθήκην ἐπιδέχεται, ἢ μείωσιν· ἀλλ' ἡ σὰρξ ἣν ἀνείληφε, καὶ ὁ ἄνθρωπος, ὃν ἐφόρεσεν. οὗτος ὡραιώθη τῇ τῆς θεότητος ὡραιότητι συμμορφωθεὶς, καὶ ἱδρυώθη ἐν τῇ τῶν οὐρανῶν βασιλείᾳ ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ.

Cap. I. v. 12. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur*, sic explicant.

S. EPIPHANIUS *pag.* 28. *Per guttam itaque commemorat & sanguinem & aquam, quæ fluxerunt de latere Jesu.* Fasciculus, *inquit*, guttæ fratruelis meus mihi, *ac si diceret: ex aqua, vel sanguine, quæ stillavit ex ejus latere, ipse mihi factus sponsus est, & ego ei sponsa; sanguine quidem ex ejus latere profluente, quo ei redempta & coæquata sum, aqua vero carnis ejus, per quam ei baptizata sum, atque clarificata: spi-*

PHILO in catena Meursii *col.* 150. : *Fasciculus stactes est sanguis, & aqua, & spiritus, quæ stillant e latere Christi. In medio vero uberum, hoc est duorum testamentorum. situm est Christi mysterium,* Ἀπόδεσμος στακτῆς, τὸ ἀπόσταζον τῆς πλευρᾶς τοῦ Χριστοῦ αἷμα, καὶ ὕδωρ, καὶ πνεῦμα. ἀνὰ μέσον δὲ τῶν μαστῶν, τουτέστι τῶν δύο δια-

ſpiritu vero, quo Divinitati ejus copulata ſum, & conſummata dinoſcor. In medio uberum meorum commorabitur: *hoc eſt, in medio duorum Teſtamentorum teſtimonium Sacramentorum iſtorum commemorabitur, & ex Veteri quidem illud, quod in Eſaia refertur*: ſicut ovis ad occiſionem ductus eſt: *ex Novo vero, quod per Philippum Eunucho in Chriſtum interpretatur*.

θήκων κεῖται τȣ̃ Χριστȣ̃ μυστήριον ἀπόδεσμος τῆς στακτῆς σμύρνης.

Demum cap. I. v. 5. *Filii matris meæ pugnaverunt contra me, poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodivi*, ita interpretantur.

S. Epiphanius, ut videre eſt p. 23. *Filios matris ſuæ, hoc eſt cæleſtis regni dicit Sanctos Apoſtolos, ut clarius oſtendatur, bonam magnamque dimicationem pace creviſſe, & zelo inſpirante divino, ideſt, quam beati Apoſtoli perfecerunt. Vide enim quid Paulus dicit*: Coram omnibus dixi Petro, ſi tu cum Judæus ſis, Gentiliter, & non Judaice vivis, quomodo gentes cogis judaizare? *Hac igitur vera dimicatione dimicaverunt in ea, unde dicit*: Filii matris meæ dimicaverunt in me. Poſuerunt me cuſtodem in vineis: *Vinea multis quidem modis in Scriptura divina refertur, ſed in brevi dicendum eſt illud, quod in Evangelio fertur de illis, qui non reddebant fructus his, qui miſſi fuerant: Ait enim*: Veniet Dominus vineæ, & malos male diſperdet, & vineam tradet aliis cultoribus, qui facient fructus ſuos in tempore ſuo. *Dominus autem confirmabat verbum ad eos, dicens*: Auferetur a vobis regnum Dei. *Deinde dicit de iſta ſponſa*,

Philo *in catena a Meurſio edita col.* 143. Filii matris ſunt Apoſtoli, propterea quod non venerunt pacem mittere in terram, ſed gladium. Poſuerunt me cuſtodem in vineis, fructui fidei multas uvas habenti. Vineam meam non cuſtodivi. Hoc ex Judæis populis pœnitens ac reſipiſcens dicit. Υἱοὶ μητρὸς οἱ ἀπόστολοι. κατὰ τὸ, ȣ̓κ ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην ἐπὶ τῆς γῆς, ἀλλὰ μάχαιραν. ἔθεντό με φυλάκισσαν ἐν ἀμπελῶνι ἐμὸν ȣ̓κ ἐφύλαξα. ὁ ἐξ Ἰȣδαίων λαὸς τȣ̃το μετανοῶν φησί.

ſponſa, quam ſciebat in Canticis ſibi loqui: Dabitur genti facienti fructus ſuos. *Hæc igitur ab Apoſtolis poſita eſt cuſtos in iſta vinea fidei multos uvarum fructus habenti. Deinde Judæorum Synagoga, quæ particulariter cucurrit ad Eccleſiam, confitetur, & dicit.* Vineam meam non cuſtodivi, *hoc eſt: ea, quæ mihi in Lege præcepta ſunt, non ſervavi, ut per confeſſionis modum remiſſionem impetret peccatorum.*

At enim: nonne interpretatus eſt, & integrum jamdiu edidit PHILONIS *Carpathii in Canticum Canticorum* Commentarium STEPHANUS SALUTATUS Piſcienſis? Edidit ſane Pariſiis an. 1537. in Officina Wecheli [t], & inde recuſum eſt in Appendice primæ editionis Pariſienſis Bibliothecæ Patrum, necnon iterum iterumque in aliis Bibliothecæ PP. editionibus; verum eruditi omnes jamdiu animadverterunt pſeudepigraphum opus eſſe Commentarium illud, aut ſaltem interpolatum; ego vero & pſeudepigraphum, & interpolatum puto. SALUTATUS nullius meminit Codicis, ubi Commentarium illud PHILONI inſcriptum repererit. Præterea prolixum valde eſt; cum tamen genuinum PHILONIS Commentarium admodum breve fuiſſe probent, quæ extant ejus fragmenta in Catena a Meurſio edita, & Vaticana; quinetiam Salutatus ipſe hoc probe novit, & quidem videtur, PHILONIS Commentarium ad manus integrum habuiſſe; etenim in epiſtola, qua Commentarium a Wechelo editum Nicolao Bargilleſio Presbytero Bononienſi dedicavit: *Tametſi, inquit, non unus mihi Philo ſed plures fuiſſe videntur qui hoſce Commentarios in Canticum ipſum Canticorum confecerint. Nam qui* PHILONIS *nomine circumfertur apud Græcos, breve admodum opuſculum eſt. Sed ſunt qui velint ab Euſtathio quoque,*

Commentarium in Cantic. Cantic. ſub PHILONIS Carpathii nomine editum an. 1537.

Pſeudepigraphum opus & interpolatum eſt.

(t) FABRICIUS Bibl. Gr. lib. 4. cap. 4. & lib. 5. cap. 34. oſcitanter ſcribit *abud* · *obertum Stephanum*; nec ſubit qua ratione interpretem vocet *Salutatum* ſeu *Saiviatum*.

que, & Eusebio, quorum rogatu Philo ipse Commentarium hunc confecerat, interpretatum esse, unumque ex tribus esse conjunctum; quod, an ita sit, haud temere ausim adfirmare; nam de Philone testis est Suidas hisce verbis: Φίλων Καρπάθιος ἔγραψεν ὑπόμνημα εἰς ᾆσμα τῶν ᾀσμάτων. *De illis vero nihil certi me legisse memini, nec quo tempore fuerint*: ita SALUTATUS.

Qua de caussa editor PHILONI adtribuerit.

Ex his autem SALUTATI verbis intelligere etiam licet caussas, quibus ille nihilominus prolixius illud Commentarium sub PHILONIS nomine vulgaverit, quod tamen noverat alterius admodum brevis Commentarii auctorem fuisse. Quum deprehendisset in prolixiori illo plurimas esse sententias, quæ erant in alio breviori, quod PHILONIS nomine circumferri noverat apud Græcos, ex hoc ipso breviori Commentario prolixius illud ab interpolatrice manu fuisse factum censuit, & idcirco illi etiam prolixiori Commentario PHILONIS Carpathii nomen adposuit, quem certe Commentarium in Canticum Canticorum scripsisse certior erat factus a Suida.

Cum potius sit commentarium S. EPIPHANII interpolatum.

Verum ubi cognitum habuisset Commentarium a S. EPIPHANIO exaratum, neutiquam certe PHILONIS nomen, sed potius nomen S. EPIPHANII in illo, quod vulgavit, Commentario, inscripsisset. Scilicet continentur in eo fere omnia, sed multimodis interpolata, quæ in Canticum Canticorum *sub brevitate*, ut CASSIODORI verbis utar, complexus erat S. EPIPHANIUS Antistes Cyprius. Quoniam vero etiam PHILO in suo Commentario plurimas EPIPHANII sententias aut descripsit, aut epitomavit, hoc SALUTATO fucum fecit.

Facillimum autem cuique esse potest hæc omnia enucleatius intelligere comparando inter se fragmenta Commentarii PHILONIS, & respondentia Commentarii a SA-

LUTA-

LUTATO editi loca, atque ea Commentarii S. EPIPHANII, quod integrum, intactumque nunc primum in lucem producitur.

Illud Cantici Canticorum, quod *cap.* 3. *v.* 1. exprimitur: *In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea, quæsivi illum, & non inveni,* S. EPIPHANIUS ut videre est *pag.* 42. sic explicat. *Quando peccatis ingravati dormimus, & in noctibus, hoc est, in tenebrosis libidinum sceleribus conversamur, & quasi Christianos esse confidimus, tunc in noctibus quærimus, quem quasi diligere nos putamus. Ille enim non ita requiri vult, sed sicut Esaias dixit:* Quærite Dominum, & quum inveneritis, eum invocate, quum autem adproximaverit vobis, deserat impius vias suas, & vir iniquus consilia sua, & convertatur ad Dominum, & misericordiam consequatur. *Si igitur ita quæramus eum, tunc audiet nos. Si vero in cubili positi peccatorum, & in noctibus tenebrosis consistimus, quærentes non inveniemus, & invocantes non audiemur. Unde dicit:* Numquid non potest liberare? *Sed peccata nostra discernunt inter nos & illum: propterea,* in cubili, *inquit,* meo in noctibus quæsivi, quem dilexit anima mea, quæsivi eum, & non inveni eum, vocavi eum, & non audivit me.

PHILO in epitomen multa hæc redigens *col.* 163. sic locum exponit: Οἱ γὰρ ἐν σκότῳ, φησὶ, καὶ κοίταις ἁμαρτωλῶν βιοτεύοντες, κἂν δοκῶσι ζητεῖν θεὸν, οὐχ εὑρίσκουσιν αὐτὸν. *Qui enim in tenebris,* inquit, *& cubilibus peccatorum vitam transigunt, etsi Deum quærere videantur, non inveniunt eum.*

Auctor a SALUTATO editus S. EPIPHANIUM ita interpolavit: *Cum enim,* inquit, *peccatis gravamur, tunc in anima dormimus in noctibus, hoc est in sceleribus, & tene-*

tenebrosis desideriis corporis voluptatum, nefandisque criminibus torquemur, diu Christiani vocamur, sed opera Christi non imitamur, non mites sumus, non humiles, non pii, non justi, non misericordes, non patientes ad omnes, propterea quærimus sponsum, & non invenimus, invocamus, & non exaudit. Nam quomodo quæsitus inveniatur, & invocatus exaudiat, ipsemet per Prophetam docet, cum ait: Quærite Dominum, & in quærendo invocate: quum autem appropinquaverit vobis, derelinquat impius vias suas, & vir iniquus cogitationes suas, & convertatur ad Dominum, & miserebitur illius. Si ita quæremus ipsum, tunc nos exaudiet. At si in cubili delictorum jacemus, & noctibus vitiorum offundimur, tunc a peccatis quærimus ipsum, nec invenire possumus, neque si sic invocamus exaudit, non enim novit iniquis patrocinari Deus, nec obstinatos peccatores exaudit; propterea dicit: Numquid non potest manus Domini salvare? An non potest misereri? Sed peccata nostra diviserunt inter nos & ipsum, & ideo &c.

Itaque Commentarium a SALUTATO editum tum pseudepigraphum esse constat, tum interpolatum: pseudepigraphum, quia S. EPIPHANIO potius, quam PHILONI Carpathio adscribendum erat; interpolatum vero, quia etsi Commentarii a S. EPIPHANIO exarati methodum servet, plurimasque sententias retinuerit, attamen multa etiam detruncat, multa amplificat, & multa interserit alienæ manus, unde interdum in eo offendas, quæ ne inter se quidem cohærent. Ceterum utrumne fuerit Græca, an Latina interpolatrix manus, judicent alii. In eo esse plura ex Commentario S. Gregorii M. ad verbum expressa eruditi jamdiu animadverterunt, & multa alia quidem etiam sunt, quæ Latinam versionem ex Græco minime

minime redolent, ſed Latina eſſe ab origine videntur.

Excurſus adverſus DUPINIUM, qui PHILONEM Carpathium nuſquam fuiſſe aſſeruit.

Hic autem, antequam ad alia properemus, quoniam non tantum S. EPIPHANIO, ſed etiam PHILONI cuidam Carpathio Commentarium in Canticum Canticorum tribuendum eſſe ſtatui, & quoniam de eo jejune nimis & exiliter pertractaverunt Bibliographi, neceſſe eſt omnino, ut explicatiorem de PHILONE Carpathio notitiam tradam, ELIÆ DUPINIO ſatisfaciens, qui non ſolum Commentarium a SALUTATO editum ſuppoſititium opus eſſe putat, & recentioris Græculi commentum, quod multa in eo ſint ex S. GREGORIO Magno excerpta, ſed præterea PHILONEM ipſum Carpathium, cui adſcribitur, nuſquam exſtitiſſe contendit. Sic autem argumentatur [1]. Hujus PHILONIS meminit ſola S. EPIPHANII vita [2], quæ fabulis multis ſcatet, nec fugit quemquam a recentiore Græculo confectam fuiſſe; nullius igitur auctoritatis eſſe poteſt, nec magis probat PHILONEM exſtitiſſe Carpathium, quam Papium quemdam, & quemdam Eudæmonem, & Polybium, alioſque ab auctore hujus vitæ confictos viros. Præterea auctor vitæ non inſulæ Carpathi Epiſcopum facit PHILONEM, ſed Carpaſi urbis Cypri, nam Carpathus inſula non pendebat ab Archiepiſcopo Cypri. Porro omnino latet, inquit DUPINIUS, Epiſcopalem ſedem fuiſſe Carpaſi.

DUPINII ratiocinatio.

Rationes, quæ adverſus DUPINIUM militant.

Verumenimvero exſtitiſſe olim PHILONEM quemdam Carpathium nullus ego dubito, & illum in Canticum Canticorum Commentarium ſcripſiſſe, cum antiquiſſimum Græcum Scriptorem COSMAM Indicopleuſten, & SUIDAM graviſſimos teſtes habeam. Inſuper cum his alia mul-

d ta ſupe-

(1) DUPINIUS tom. 2. Bibl. des Auct. Eccl. p. 2. pag. 1066. ed. Pariſ. 1701. in 8.

(2) V. Operum S. EPIPHANII tom. 2. pag. 360.

ſuperius laudata concinunt teſtimonia,& hic addere etiam juvat, reperiri Eclogas ex PHILONE Carpathio in alios etiam Sacrarum Litterarum libros;hinc enim magis magiſque conſtat exſtitiſſe eum olim, & in ſtudio Sacrarum Litterarum ſe exercuiſſe, itaut neque mirari debeamus, quod etiam Canticum Canticorum Commentario aliquo expoſuerit. Bibliothecæ Vindobonenſis deſcriptores [1] PHILONIS Carpathii Eclogas in Geneſim deprehenderunt in Cod.MS. num.VII. & eas reperire eſt etiam in Bibl.Vaticana Cod. MS.Gr.Vat.746.& 747.& Gr.Palat.203.Concinunt Catenæ in Geneſin & Exodum a LIPOMANO vulgatæ. Præterea PHILO Carpathius citatur in excerptis aſceticis S. Niconis, necnon in collectione interpretationum ex variis interpretibus *in Lucam* a NICETA Diacono facta, quorum utrumque opus in Bibliotheca Coisliniana adſervabatur [2]. PHILONIS Epiſcopi tres exhibet ſententias Catena PP.Gr. ad Pentateuchum, quam Franciſcus Zephirus Florentinus vertit. Fragmentum Philonis in illud MATTH. V. v.13. *Vos eſtis ſal terræ*, ex Catena Mſs. Mazariniana dedit COMBEFISIUS in *Bibl. Concionatoria*. Demum COSMAS Indicopleuſtes [3] locum adfert ex PHILONIS Carpathii commentario in Hexaemeron.

DUPINII rationes confutantur.

Itaque injuria quidem DUPINIUS adſeruit, quod ex ſola S. EPIPHANII vita a Polybio deſcripta PHILO Carpathius ſit notus, & idcirco incaſſum quoque eum a Polybio Urbis Carpaſi Epiſcopum fieri animadvertit, ut ſubjiceret, latere tamen, quod in ea urbe epiſcopalis ſedes aliquando fuerit. PHILONEM Commentarii in Canticum Canticorum auctorem illum eſſe, cujus mentio eſt apud Polybium, vanum omnino commentum eſt, & miror non ſolum

(1) LAMBECIUS, NESSEL &c.

(2) V. MONTFAUCON in Catal. Bibl. Coisliniana pag.198. & 251.

(3) COSMAS Indicopleuſtes lib.10. Topographiæ Chriſtianæ &c. Collect. PP. Gr. tom.2. pag.330.

ſolum Dupinium, ſed etiam Caveum, Cellerium, aliosque Eccleſiaſticorum Auctorum Biographos in eamdem ſententiam clauſis oculis deſcendiſſe, in errorem inductos, ut puto, ſimilitudine nominis Carpaſi, & Carpathi, & quod de Philone aliquid dicere inhiantes viſa ſunt ſibi eſſe uſui, quæ in Polybio de Philone Epiſcopo Carpaſi narrantur.

Verum quum Cosmas Indicopleuſtes,& Suidas, nec non omnes MS. Cod., in quibus Philo nominatur, Carpathium eum dicant, nullibi autem Carpaſius appelletur, Carpathium eum fuiſſe Epiſcopum adfirmemus oportet. Porro Carpathum, quæ eſt una ex Cycladibus, quæ Carpathio mari nomen dedit, nunc autem vulgo *Scarpanto* nominatur, jam ab antiquiſſimis temporibus Epiſcopum ſuum habuiſſe certiores facti ſumus ex Epiſtola Synodi Conſtantinopolitanæ an.520. ad Hormiſdam ſcripta, cui Zoticus ſubſcribit *Carpathienſis* [1], necnon ex Concilio Conſtantinopolitano ſub Mena ann. 359. & Conſtantinopolitano Oecumenico anni 553, cui ſubſcripſit Epiſcopus Carpathiorum Menas [2]. Demum anno 879. erat Carpathi Epiſcopus quidam Philippus, quem videre eſt nominatum inter eos, qui eo anno Pſeudoſynodo Photii interfuerunt [3].

Philo fuit Epiſcopus Carpathi, non Carpaſi.

At vero quo tempore eam ſedem Philo obtinuerit, hoc incompertum omnino eſt. Quod unum adfirmari poſſe videtur, illud eſt, floruiſſe Philonem ante Juſtini junioris tempora, cum ejus teſtimonio utatur Cosmas Indicopleuſtes, quem ſub Juſtino ſcripſiſſe conſtat circa A Domini DLXXXVI. Quinimmo ſexto ſaltem ineunte ſæculo Philo Carpathius Epiſcopus floruit probantibus ſententiis ex ejus Commentario *in Canticum Canticorum* excerptis,

Sæculo VI. ineunte.

(1) V.Conc.Harduini t.2.col.1037. (2) Ib.col.1403.& t.3.col.207. (3) Ib.t.6.col.214

quæ in Catena a PROCOPIO Gazæo confecta referuntur; PROCOPIUS enim claruit an. circiter DXX.

AUBERTI MIRÆI & JOANN. MEURSII lapsus.

Porro multo adhuc antiquior foret PHILO, si verax esset MIRÆUS, qui Suidam Grammaticum, in cujus Lexico PHILO laudatur, an. Chr. 425. in vivis fuisse censuit [1], aut si recte senserit Jo. MEURSIUS, qui Catenam in Canticum Canticorum a se editam, ubi plures PHILONIS sententiæ sunt, EUSEBIO Cæsariensi adscripsit. Verum indubium plane est, longe a vero utrumque aberrasse. Quod ad MIRAEUM spectat, haud debuit SUIDAM decimo Ecclesiæ sæculo vetustiorem facere, cum pluries Logothetam laudet, nimirum adnotante Richardo Bentlejo [2], cui adhæret Kusterus [3], Symeonem Metaphrastem Logothetam, qui sæc. X. ineunte floruit. Quinimmo Hieronymus Wolfius [4] Metochritam Logothetam fuisse putavit hominem sub Palæologis clarum, ineunte sæc. XIV. sed ne Wolfium quidem recte sensisse puto. Præterea, etsi sub unius Suidæ nomine Lexicon illud circumfertur, multorum tamen hominum manus esse passum constat, qui primigenio operi nova pro ingenio quisque suo addiderunt, pares quidem cura illud locupletandi, at minime tamen doctrina pares & diligentia.

Verum turpius hallucinatus est JOANNES MEURSIUS, quod quidem de tali viro plane mirum. Catena Lugduni Bitavorum edita *anno 1617. perperam Eusebio Pamphili est adscripta a* MEURSIO, *quum ex ipsius quidem, sed & aliorum Patrum scriptis sit coagmentata, ac aliquorum quidem paulo recentiorum, veluti Gregorii Nysseni, & Philonis,* scribit ERNESTUS GRABE in Proleg. in vetus Testamentum Græcum [5].

Idipsum

(1) AUBERTUS MIRÆUS in notis ad Bibl. Eccles. &c.

(2) RICHARDUS BENTLEIUS in Dissertatione de Phalaridis Epistolis pag. 23.

(3) KUSTERUS in Præf. ad Suidam edit. an. 1705. Cantabrigiæ.

(4) HIERONYMUS WOLFIUS in Præf. ad Suidam, quem a se versum bis edidit Basileæ.

(5) ERNESTUS GRABE Proleg. in Vet. Testamentum Gr. tom. 4. cap. 3. §. 5. ed. a. 1730. quam curavit Tiguri Helvetiorum Jo. Jacobus Breitingerus.

Idipſum ſenſerunt ceteri omnes critici, & Bibliographi, inter quos tamen minus recte OUDINUS adjicit [1]: *Catena autem iſta ex antiquioribus Patribus vix ſeculum* IX. *vel* XI. *excedunt*. Catena in Canticum Canticorum, quæ in Vaticana adſervatur, ut dictum eſt alias, PROCOPIUM Gazæum auctorem habet, qui anno Chriſti circiter DXX. claruit. Porro Catena a Meurſio edita fragmentum hujus eſſe cenſeo. Titulus Catenæ Vaticanæ cod. 1442. pag. 203. talis eſt: Προκοπίου χριστιανοῦ σοφιστοῦ εἰς τὰ ἄσματα τῶν ἀσμάτων ἐξηγητικῶν ἐκλογῶν Ἐπιτομὴ ἀπὸ φωνῆς Γρηγορίου νύσσης, καὶ Κυρίλλου Ἀλεξανδρείας Ὠριγένης τε καὶ Φίλωνος τοῦ Καρπαθίου, Ἀπολιναρίου, Εὐσεβίου καισαρείας, καὶ ἑτέρων διαφόρων. ἤγουν Διδύμου, τοῦ ἁγίου Ἰσιδώρου, Θεοδωρήτου, καὶ Θεοφίλου: *Procopii Chriſtiani Sophiſtæ in Cantica Canticorum expoſitionum ſelectarum Epitome ex ſermonibus Gregorii Nyſſeni, & Cyrilli Alexandrini, Origenis, & Philonis Carpathii, Apollinarii, Euſebii Cæſarienſis, & aliorum, ideſt Didymi, Iſidori, Theodoriti, & Theophili*. Catenæ Vaticanæ in Canticum Cantic. titulus.

Sed neque eſt omittendum, Eliam DUPINIUM in eo quoque erraſſe, quod Epiſcopalem ſedem nuſquam fuiſſe dixerit Carpaſiæ, quæ erat urbs in Boreali latere Cypri poſita, & quæ Carpaſium a PLINIO [2] dicta eſt, Καρπάσεια a SYLACE [3], Carpaſis a HIEROCLE Grammatico [4]. Enimvero ejus ſedis nullibi meminit in ſua *Geographia ſacra*, ſive *notitia antiqua Diœceſium omnium* CAROLUS a S. Paulo, & tantum LUCAS HOLSTENIUS, ubi ille de Diœceſibus in Cypro inſula loquitur, hæc addidit [5]: *Carpaſia vel Carpaſſium Hierocli,* Carpaſiæ Epiſcopalem ſedem, non fuiſſe falſo cenſuit DUPINIUS.

(1) CASIMIRUS OUDINUS in Comment. de Script. Eccl. tom. 1. pag. 314.

(2) PLINIUS lib. 5. 35.

(3) SYLACES in Periplo. V. Geogr. Gr. min. tom. 1.

(4) HIEROCLES Grammaticus in COMITE peregrinationis apud SCHELSTRATIUM in Appendice ad opus Geographicum p. 712.

(5) V. Geographiam ſacram auctore CAROLO a S. PAULO cum notis HOLSTENII lib. 1I. pag. 297. edit. Amſtel. a. 1704.

rocli, *& Notitia Leonis Imperat. & Stephano*. *Hujus Episcopus fuit Philo* Καρπάσις, *cujus extat Commentarius Gracus MS. in Cantica Canticorum*, *quem vulgo male Carpathium*, *quasi a Carpatho insula, appellant.* Verum errav it certe Holstenius, quod ad PHILONEM nostrum spectat, & lapsus certe est Carolus a S.Paulo, quod inter veteres Episcopales insulæ Cypri sedes Carpasiam non recensuit. Carpasiæ Episcopus Olympius nomine, Ephesino Conc iliabulo interfuit ann.431.[1] Præterea Nilus Doxipatrius [2] in notitia Patriarchatuum, quam Rogerii Siciliæ Regis jussu scripsit an. 1043. in Cypro 13. Episcopatus recenset, quos inter ultimo in loco est Carpasus, sicuti etiam in alia expositione residentiæ Episcopatuum facta an. 881. aut 883. inter 13. Cypri urbes Episcopales ultimo in loco Carpasum nominat ejus auctor [3].

Sed de auctore operis satis, dicamus modo de ejus Interprete.

PARS

(1) Conc. HARDUINI tom.1.col.1534.

(2) V. SCHELSTRATIUM in Appendice ad Opus Geographicum pag.728.

(3) Apud eumdem SCHELSTRATIUM ibidem pag. 688.



PARS II. *De auctore versionis Commentarii* S. EPIPHANII *in* CANTICUM CANTICORUM, *& de ipsius versionis pretio*.

LIcet interpretem Commentarii S. EPIPHANII in Canticum Canticorum Vaticanus codex haud nominet, verisimillimum tamen videtur, EPIPHANIUM Scholasticum fuisse, quem certe scimus illud opus in Latinum vertisse AUR. CASSIODORI jussu, & cujus aliis Latinis versionibus simillima hæc est. Præterea quum videam hac ipsa quidem versione Latina usum esse HADRIANUM PP. I. eo facilius conjicio eam hujus Scholastici esse opus; fuisse enim hujus versiones multo in pretio habitas, & præcipue Romæ, ex eo suaderi posse videtur, quod etsi duplex olim exstabat Latina interpretatio Codicis Encyclii, ut probat BALUTIUS[1] collata interpretatione EPIPHANII cum illa, qua utitur FACUNDUS Hermianensis[2], attamen Ecclesia Romana utebatur illa EPIPHANII, uti constat ex eo, quod ipsamet quidem usus fuerit Pelagius II. in epistola ad Episcopos Histriæ, quam edidit Baronius[3]. Præterea titulus in antiquis exemplaribus collectionum Conciliorum positus, BALUTIO teste, sic habet[4]: *Chalcedonensis Synodi testis est hic codex, qui Encyclius nuncupatur. Tanta enim reverentia, & tanta laude eam concelebrat, ut sanctæ auctoritati merito judicet comparandam. Quem codicem, idest totius orbis epistolarum, a viro disertissimo* EPIPHANIO, *instante Cassiodoro Senatore, de Græco in Latinum versus est*.

Latinus interpres Commentarii S. EPIPHANII in Cant. Cantic. videtur fuisse EPIPHANIUS Scholasticus.

Erat EPIPHANIUS Scholasticus, natione Græcus, si SIXTO

Qui fuerit EPIPHANIUS Scholasticus.

(1) STEPHANUS BALUTIUS Collect. novæ Concil. tom. 1. col. 1405.
(2) FACUNDUS Hermianensis l. 2. c. 5.
(3) BARONIUS ad an. 586.
(4) BALUTIUS ubi supra col. 1407.



SIXTO Senensi [1] credimus, alii tamen Italum dicunt, ex quibus opinionibus, quam seligam nescio, idoneis ad dijudicandum destitutus rationibus, sicuti quoque utrum conciliandæ sint ambæ inter se dicendo Italum fuisse ex Magna Græcia. AUR. CASSIODORUS tres licet haberet amicos, quorum operam in Græcis libris vertendis adhibebat, EPIPHANIO tamen potissimum utebatur. Presbyter BELLATOR nomine, CASSIODORO obsequuturus ORIGENIS Homilias *in Exodum* Latine reddidit [2]: MUTIANUS vero Homilias LXXIV. S. JOANNIS CHRYSOSTOMI *in Epistolam ad Hebræos* [3], cujus versionis septingentorum annorum codicem in Bibl. Regia RICHARDUS SIMONIUS deprehendit [4]; EPIPHANIUS autem Latinas fecit DYDIMI expositiones *in Proverbia Salomonis* [5], nec non ejusdem DYDIMI expositiones *in Canonicas Epistolas* [6], præterea Historiarum libros a SOZOMENO, SOCRATE, & THEODORETO editos [7], Codicem Encyclium pro defensione Concilii Chalcedonensis [8], demum S. EPIPHANII Cyprii *in Canticum Canticorum* Commentarium.

EPIPHANII Scholastici variæ versiones recensentur.

Quinimmo quum etiam FLAVII JOSEPHI Antiquitatum Judaicarum libros ab Hieronymo propter magnitudinem operis prætermissos, Latinos fieri CASSIODORUS curaverit, plures inter eruditos viros, inter quos laborem illum dispertivit, fuisse quoque EPIPHANIUM Scholasticum creditur; immo vero EPIPHANIUM in eo præcipue insudasse censuit JUSTUS FONTANINIUS [9], & sub illius tantum nomine veterem, quæ exstat, antiquitatum Josephi versionem, quam alii decepti supposito cujusdam Medio-

(1) SIXTUS Senensis Bibliothecæ sanctæ &c. lib. 4.
(2) CASSIODORUS Divin. Inst. cap. 6.
(3) Ibid. cap. 8.
(4) V. Lettres Choisies du M. SIMON tom. 1. p. 114.
(5) CASSIODORUS Divin. Inst. cap. 5.
(6) Ibid. cap. 8.
(7) Ibid. cap. 17.
(8) Ibid. cap. 11.
(9) FONTANINIUS Historiæ Litterariæ Aquilejensis lib. 5. cap. 16. §. 2. pag. 394.

Mediolanenſis codicis teſtimonio ſub RUFINI nomine typis vulgaverunt, Oxonii edidit, atque adeo edere cœpit EDVARDUS BERNARDUS vir doctiſſimus, neſcio tamen utrum ex conjectura, ut putat Fabricius,[1] aut potius ex alicujus MS. Cod. Fide, plurimos enim ad eam editionem adornandam contulerat Codices ſtudioſiſſime BERNARDUS, ita ut dolendum plane ſit ad umbilicum editionem ſuam non perduxiſſe iis de cauſis, quas memorat in ejus vita THOMAS SMITHUS[2].

Neque vero his ſolum verſionibus inclaruit EPIPHANIUS Scholaſticus, ſed, SIXTO Senenſe auctore[3], inſigniores etiam præſtantiſſimorum Patrum Græcorum expoſitiones ad Pſalterium pertinentes in unum collegit, & Catenam confecit, cujus initium tale eſt: ΕΥΣΕΒΙΟΥ ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ. *Μακαριότητα μὲν κατὰ φύσιν ἅπαντες ὀρεγόμεθα* : EUSEBII CÆSARIENSIS. *Omnes quidem ſecundum naturam beatitudinem deſideramus*. Nomina vero auctorum, quorum expoſitiones in hoc opere continentur, hæc ſunt. *Origenes, Athanaſius, Euſebius Cæſarienſis, Baſilius Cappadociæ, Aſterius Scytopoleos, Theodorus Antiochiæ, Dydimus, Apollinaris, Theodoretus, Cyrillus, Heſychius*: Ita SIXTUS.

Scripſit etiam Catenam Gr. PP. in Pſalmos.

Verum de ipſius etiam verſionis edendæ natura & pretio æquum & bonum eſt modo aliquid dicere. Ubique feliciter eam minime progredi fateor ſciens, ſed ne eſſe quidem puto omnino inelegantem, & inconcinnam. Inoleverat jam EPIPHANII tempore uſus interpretandi Græca, de quo eodem ſexto Eccleſiæ ſæculo querebatur S. GREGORIUS M. ſcribens[4]: *Indicamus præterea quia gravem hic difficultatem Interpretum patimur; dum enim*

Verſionis Commentarii S. EPIPHANII in Canticum Canticorum natura & pretium examinatur.

e *non*

(1) FABRICIUS Bibl. Gr. lib. 4. c. 6. §. 12.

(2) V. THOMAM SMITH in vita Edvardi Bernardi edita Londini an. 1704. pag. 29.

(3) SIXTUS Senenſis ubi ſupra.

(4) S. GREGORIUS M. epiſt. lib. 10. ep. 40. tom. 2. col. 1071. ed. Pariſ. a. 1705.

non ſunt, qui ſenſum de ſenſu exprimunt, ſed transferre ſemper verborum proprietatem volunt, omnem dictorum ſenſum confundunt, unde agitur ut ea, quæ tranſlata fuerint, niſi cum gravi labore, intelligere nullo modo valeamus. Hanc Græca ad verbum Latine transferendi methodum obſcuritatem parere, *dum cuſtodita verborum collatio eamdem abſolutionem non poteſt ad intelligentiæ ſimplicitatem conſervare*, animadverterat jam etiam S. HILARIUS Pictavienſis [1], & inſigne exemplum exſtat S. IRENÆI opus de Hæreſibus, cujus interpretem Latinum, utpote qui ex Græcis plurima ſerviliter & impolite imitatur, nemo valet ſine aliqua Græcæ Linguæ notitia intelligere.

Verſionum EPIPHANII Scholaſtici vitia & laudes.

Itaque etiam EPIPHANIUS Scholaſticus in ſuis e Græco verſionibus, dum nimis brevis eſſe laborat, & nimis fidus interpres, non raro quidem & ipſe obſcurus fit, & male Latinus, attamen neque deſunt in illis plurima eleganter expreſſa & luculenter. Aniani, Rufini, Iſidori Mercatoris, Dionyſii exigui, atque EPIPHANII Scholaſtici, aliorumque nonnullorum veterum verſiones tales ſunt: non raro, ſermonis licet inelegantia laborent, nihilominus tamen recentioribus, majore licet cura adornatis & politioribus longe ſunt præferendæ. Scilicet Græca vocibus Latinis, quæ majorem vim habent, reddere ſolent, ex quo genuinam vocabulorum Græcorum poteſtas atque notio apparet facilius; præterea haud raro earum auctores Græcorum Scriptorum ſententiam rectius aſſequuti ſunt, quod comparatis utriuſque ætatis verſionibus facile eſt intelligere. De Novellarum antiquo interprete idipſum conceptis verbis egregie cenſuit CUJACIUS [2]: Temere nimirum ab hodiernis Juriſconſultis eum reici, atque contemni, tum propter antiquitatem, tum propter hominis

(1) S. HILARIUS de Synodis §.19. col. 1155. ed. Pariſ. a. 1693. (2) CUJACIUS obſerv. l. 16. c. 6.

minis eruditionem, Græca enim earumdem Novellarum vocabula Latinis ejusdem linguæ Jurisconsultorum, vel quæ certe tunc in usu erant, vocabulis eleganter expressisse videtur. Sed quæ GARETIUS [1] adversus RHENANUM scripsit de versione tripartitæ historiæ, quam fecit EPIPHANIUS Scholasticus AURELII CASSIODORI gratia, juvat hic recitare, sunt enim maxime opportuna ad judicium ferendum de hac nostra quoque versione, quæ ab eodem auctore confecta esse videtur.

Jo. GARETII de versione tripartitæ historiæ judicium.

Scimus, inquit [1], *B. Rhenanum in Epiphanii versionem acerbe & contumeliose invehi, eique Græci ac Latini sermonis imperitiam objicere, cujus oscitantiam, & Typographorum menda pertæsus non sine supercilio monet plura se castigasse, delevisse, supplevisse. Sed quam parum justa sint illius in interpretem convitia, fatebitur omnis, qui nostram hanc editionem ad fidem manuscriptorum sincere reductam cum adscititiis Rhenani contulerit. Mirabitur fortasse, eum nihil ut plurimum emendasse, quam verba quædam, quæ cum barbarismos, & solœcismos esse judicaret, fastidio quodam delicatissimo bilem ipsi & stomachum mirum in modum commoverant. Non diffitemur Epiphanii versionem puræ Latinitatis parum, barbariei Gothicæ plurimum habere: sed non ita fœde aberravit, ut ob barbaricas nænias, & incultum sermonem tota periret operis facies; sicut eamdem ob caussam ceteros Gothorum Scriptores de medio tollendos nemo jure dixerit. Quapropter litteratis omnibus, quibus semper antiquior fuit Auctorum, quam interpolatorum lectio, gratum fore putavimus, si totum quale est Cassiodori senatoris, & Epiphanii opus in pristinam integritatem restitueremus, maxime cum a doctissimi Valesii versione paucissimis in locis sensu discrepet, nec eum infeliciter Interprete nostro suis in observationibus non semel usum fuisse videamus.*

(1) Jo. GARETIUS in Præf. in novam Aur. Cassiodori Operum editionem pag. 2.

mus. Huic itaque editioni reformandæ ſuppetias tulit antiquus codex Monaſterii B. Mariæ de Lira quadringentorum plus minuſve annorum optima manu exaratus. Nec minus profuit alter MS. S. Theodorici prope Rhemos, qui ſexcentorum circiter annorum characterem præfert. Diſſimulare non poſſumus in his manuſcriptis codicibus eos inveniri loquendi tropos, quos barbariſmos, & ſolœciſmos vocavit Rhenanus, ſed benignius condonandi ſunt Latino Interpreti apud Gothos, & Gothis ſcribenti, qui forſitan, ut Græcam phraſim melius redderet, verbum e verbo exprimi debere arbitratus eſt. Utiliſſima ſane foret Rhenani opera, ſi quomodo Epiphanii Latinitatem, ita librariorum vitia caſtigaviſſet; conſtat enim multa in hos libros irrepſiſſe menda, quæ fucum faciunt Lectoribus, difficultateſque non modicas ingerunt &c.

Quid in hac editione verſionis Commentarii S. EPIPHANII in Canticum Canticorum præſtitum ſit.

Jam vero quod in edenda tripartita hiſtoria ab EPIPHANIO Scholaſtico in Latinum verſa GARETIUS præſtitit, idipſum in edendo Commentario in Canticum Canticorum a S. EPIPHANIO Cyprio Græce exarato, & ab eodem, ut videtur, EPIPHANIO Scholaſtico in Latinum tranſlato, pro meis viribus ipſe præſtiti. Ex antiquiſſimo Codice fideliter deſcriptum profero, & manifeſta librarii errata omnino caſtigavi, manifeſta, inquam, ſi quod enim occurrere contigit, de quo anceps hærerem, utrum librarii erratum eſſet an Interpretis, religio mihi fuit ſollicitare. Ab ortographia ſeu ratione ſcribendi, qua uſus eſt Codicis deſcriptor, liberius paſſim diſceſſi, ut eam, quæ in communi uſu eſt, ſequerer, & quidem non ſolum ubi ille interdum minus rectam adhibebat, ſed etiam ubi probabilem, modo tamen apud doctos inſolitam.

Quod autem ſpectat ad verſuum libri Cantici Canticorum diſtinctionem, eam talem exhibeo, qualem Codex exhibet, & eam ſuo numero notavi ad fidem pariter

ter Codicis, ubi hoc solum discriminis est, quod singuli numeri minio exarati ibi sunt, uti quoque singuli ipsi versus. Nec mirere eos numero hic esse CCXLI. etenim brevissimus licet omnium sacrorum librorum sit liber *Cantici Canticorum*, passus est tamen & ipse, ut ceteri, plurimam in stichometria varietatem. Alii versus in eo numerant 280.[1] alii 300.[2] alii 117.[3] alii 360.[4] neque enim constans esse potuit omnium sententia, cum privatorum hominum inventum distinctio illa fuerit, majoris perspicuitatis ergo, uti nos HESYCHIUS Hierosolymitanus [5] docuit; inquit enim: *Libros Prophetarum majoris perspicuitatis causa, per versuum cola dividere vetus inventum est SS. Patrum, nam initio sine ulla distinctione legebantur. Postea vero viri docti, & sacrarum litterarum studiosi, majoris, ut dixi, perspicuitatis gratia hujusmodi versuum distinctionem excogitarunt. Ita Prophetarum libri ab illis editi sunt, sic Davidis psalmi, sic Proverbia, & Ecclesiastes, & Canticum Canticorum, sic liber Jobi per versus distinctus reperitur*. Quamvis autem lateat, quis nam eam distinctionem emiserit primus, certiores tamen sumus, quod multo ea est antiquior non solum sexto Ecclesiæ sæculo, quo HESYCHIUS floruit, sed etiam ipsius S. EPIPHANII

(1) Sic Stichometria, quam vocant NICEPHORI, & Stichometria novæ editionis Op. S. HIERONYMI, nec non Stichometria edita ex duobus codicibus Oratorii a Josepho Maria THOMASIO, aliaque ex cod. antiquissimo monasterii S. Pauli de Urbe edita Tom. 1. pag. 170. Op. Thomasii ab Antonio Francisco VEZZOSIO, qui omnia laudatissimi illius Cardinalis opera, cujus & virtutes æmulatur & doctrinam, in unum corpus collecta, notisque aucta, plaudentibus omnibus bonis, Romæ excudi curat.

(2) Sic Stichometria edita a Jo. BAPT. COTELERIO in judicio de epist. S. Barnabæ.

(3) Sic Stichometria Massorethica.

(4) Sic cod. Alex. versiculis LXX. ubi tamen animadvertendum occurrit quod cap. 8. (prout Grabius distinguit, nulla est enim in cod. capitum distinctio) deest integer versiculus, cujus defectum descriptor codicis minime animadvertisse videtur, quod ipsum titulum *Canticum Canticorum, quod est Salomon*, inter stichos 36 n. adnumeraverit.

(5) V. Στιχηρὸν seu Κεφάλαια in XII. Prophetas Minores in princip.

PHANII ætate; meminit enim illius S. EPIPHANIUS in libro *de Ponderibus & Mensuris*[1] ubi de Sacrarum Litterarum libris verba faciens postquam Pentateuchum memoraverit: *Sequuntur*, inquit, *quinque alii libri, qui versibus constant: Job, Psalterium, Proverbia Salomonis, Ecclesiastes, Canticum Canticorum*. Πέντε γὰρ στιχήρεις, ἡ τοῦ Ἰώβ βίβλος, εἶτα τὸ Ψαλτήριον, Παροιμίαι Σαλομῶντος, Ἐκκλησιαστής, Ἆσμα Ἀσμάτων. Ceterum utrum S. EPIPHANIUS librum Cantici Canticorum explanans peculiari Stichometria eum distinxerit, an aliena, obscurum plane est; quinetiam latet omnino utrum ipse an librarius omiserit *vers. Non novit anima mea*, locandum post v. CLXXX. nec non *vers. Duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ,* cui locus esse debuit post v. CLXXXIII. Quod in oscitantiam librarii securus reiciendum puto, illud est, non omitti quidem, sed nec suo numero post v. CLXXI. distingui *vers. Una est columba mea, perfecta mea*: præterea in v. CLXXXIII. repetitum nequaquam esse verbum *convertere*. Græci codices Cantici Canticorum editi & MS. nihil horum omittunt.

PARS III.

(1) S. EPIPHANIUS de Ponderibus & Mensuris §. 4. Oper. tom. 2. pag. 162.



PARS III. *De pretio & usu Commentarii* S. EPIPHANII *in* CANTICUM CANTICORUM.

Commentarii S. EPIPHANII in Canticum Canticorum pretium atque usus.

RESTAT modo de pretio atque usu hujus Commentarii in Canticum Canticorum nunc primum editi aliqua perstringere. Cum antiquissimum, & sanctitatis doctrinæque laude toto terrarum orbe celebratissimum virum auctorem habeat S. EPIPHANIUM Salaminæ in Cypro Episcopum, ejus editionem nemini ingratam fore futuram arbitror, nec quisquam certe poterit inutilem eam esse judicare. Scilicet præterquamquod notitiam, & collectionem operum S. EPIPHANII absolutiorem reddet, præterea primævæ Ecclesiæ Patrum scripta in Bibliothecis sedulo inquirere, & in publicam lucem emittere optimum semper studium, laudatusque exstitit labor; merentur enim omnino hanc curam tum antiquitatis caussa, tum auctoritatis, illa etiam eorum scripta, quæ interdum minus polita esse deprehenduntur, & quæ fortassis loquentiæ satis habent, eloquentiæ parum.

At vero Commentarii hujus editio hunc quoque præcipuum habet usum, quod de celeberrimo Commentario a STEPHANO SALUTATO Piscienſe in lucem producto judicare modo licet securius, esse opus non ex integro suppositum, sed interpolatum, & PHILONI Carpathio Episcopo minus recte ab editore fuisse adscriptum, potuisse tamen potius S. EPIPHANII nomine inscribi. Quoniam vero varias ex eo interpolato Commentario sententias ad fidem faciendam Theologi adhibuerunt, animadvertere etiam liceat æquum minime fore, eas deinceps statim reicere tamquam inutiles, sed consulendum esse primum Commentarium hoc a nobis editum, ubi enim in hoc quoque reperian-

periantur, haud minoris habendæ erunt. Illuſtrior PHILONE eſt S. EPIPHANIUS *apud Græcos inter magnos habitus, & a multis in Catholicæ Fidei ſanitate laudatus*, ut elogio utar, quod in eum ſcripſit S. AUGUSTINUS [1].

Itaque inutiliter reprehenditur COCCIUS, quod Commentarium in Canticum Canticorum a SALUTATO editum ad quædam Catholicæ doctrinæ capita confirmanda non ſemel alleget. *Quamvis hic Commentarius*, inquit OUDINUS [2], *ſit ſuppoſitus*, COCCIUS *attamen, qui hunc authorem floruiſſe vult ad ann.*410. *in catalogo, ſive in indice authorum ad initium tom.*1. *Theſauri Catholici, plurima ex hoc vir bonus allegat, nempe tom.* 1. *lib.* 2. *de Chriſto art.*4. *ut probet animam Chriſti vere ad inferos deſcendiſſe, ut Sanctorum animas inde liberaret: lib.*5. *de Sanctis art.* 6. *ut probet Sanctos recte invocari: tom.* 2. *lib.* 7. *de Pœnitentia art.* 4. *ut probet culpa dimiſſa reſtare quamdam temporalem pœnam*. Verum, licet verba, quæ COCCIUS allegat, ex interpolatis ſint, ſententiarum tamen vis etiam in genuino Commentario hic edito reperitur. Ad Chriſti in infernum deſcenſum contra Hæreticos vindicandum optime faciunt, quæ leguntur *pag.* 60. in illud Cantici Canticorum *cap.* 5. *verſ.* 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat*; eum enim locum S. EPIPHANIUS ſic explicat: *Ego dormio: hoc eſt mortem, quam pro nobis ſuſtinuit, ſignificans. Et cor meum vigilat:* ideſt *infernum Divinitate devaſtat. Pag.* autem 62.*in v.6.c.*5. de Paſſione & morte Chriſti loquens & de ejus reſurrectione: *Tranſivit*, inquit EPIPHANIUS, *ex inferno per mundum ad Cælum*;& *pag.*69.*in v.*1.*cap.*6. *Hic*, inquit, *deſcenſum Domini ad infernum dicit, ſicut ipſa conſequentia deſignatur, phialas enim aromatis antiquos juſtos appellat* Ab-

Confirmat doctrinam deſcenſus Ch. ad Inferos.

(1) S. AUGUSTINUS in lib. de Hæreſibus cap. 57. tom. 8. p. 19.

(2) CASIMIRUS OUDINUS Script. Eccl. tom. 1. col. 892.

Abraham, Isaac, Jacob, Daniel, David, Samuel, Heliseum; isti enim omnes phialæ sunt justitias virtutum suarum aromatibus spirantes. Quia vero in infernum descendens in hortum abiit, ipse Dominus testificatur cum dicit Latroni: Hodie mecum eris in Paradiso. Demum *pag*. 80. ad illud *Rex vinctus in transcursibus*: adhuc enucleatius: *Iste est itaque Rex*, inquit, *de quo & David dixit: Dominus regnavit &c. In transcursibus autem dictum est, quia de cœlo transcurrens in terram venit, & iterum in infernum transcurrens, & mortuos resuscitans, rursus transcurrens in cœlos abiit*. Quinimmo cum hanc S. EPIPHANII sententiam PHILO descripserit & suam fecerit, ut ex COSMA Indicopleuste superius est adnotatum, multos inter alios veteres Patres, etiam PHILONEM non rite quidem, sed neque falso testem adhibuit COCCIUS, ubi descendisse Christum ad inferos ex Traditione propugnat.

Quod autem pertinet ad invocationem Sanctorum insignis sententia occurrit *pag*. 64. ubi exponitur illud *cap*. 5. *vers*. 8. *Adjuravi vos, Filiæ Jerusalem, in virtutibus & in viribus agri si inveniatis Fratruelem meum: quid nuntietis ei? Quia vulnerata caritatis ego sum*. Ita enim S. EPIPHANIUS ibi loquitur. *Fiduciam habet in propriis filiis bona & sancta mater Ecclesia: hoc est, in sanctis martyribus, per quos percussa est: & dicit Apostolis atque Prophetis: Annuntiate ei, quia vulnerata caritatis sum ego*. Et *pag*. 88. in illud *cap*. 8. *vers*. 4. *Adjuravi vos, Filiæ Jerusalem, in virtutibus & in viribus agri, quod levastis &c.* multo etiam clarioribus verbis idipsum docet, inquit enim: *Incessabiliter instat sæpe rogans atque conjurans animas Sanctorum, ut pro nobis ejus filiis intercedant, quatenus dilectionem suam Christus confirmet in nobis, quousque voluerit assumere nos*. Et Invocationis Sanctorum.

Necnon Sacramenti Eucharistiæ.

JOSEPHUS BINGHAMUS de consecratione aquarum Baptismatis verba faciens comparationem quamdam instituit inter earum consecrationem, & eam, quæ fit in sacramento Eucharistiæ, ut in utraque mysticam tantummodo mutationem fieri consuadeat, audacter deblaterans, omnia verba, quibus ad declarandam mutationem in Eucharistia utuntur Patres, similiter in aqua Baptismi post consecrationem vera esse comprobari. Congerit autem ad propositum plurium SS. Patrum auctoritates, a quibus Baptismi aqua sanguis Christi appellatur, & inter ceteros PHILONEM Carpathium etiam citat in Canticum Canticorum ita loquentem: *Fons signatus sponsa dicitur, quia in Baptismate signaculum Jesu Christi accepit, ex ejus sacratissimi sanguinis fonte perlota*. Hæc verba sunt quidem interpolatoris Commentarii S. EPIPHANII, non autem PHILONIS, attamen non est sine responso dimittendus BINGHAMUS, cum eadem appellatio sacris Baptismatis undis etiam in Commentario nulla interpolatione vitiato alibi detur non semel, ut videre est pag 49. ubi legitur: *Dico enim lavacrum regenerationis, quod non de marinis animalibus, sed de cælestibus thalamis, & ex ipso sacrosancto Christi sanguine probatur habere tincturam*. Et pag. 80. *Sicut enim purpura conchyliorum sanguine tingitur, sic & ornatus sponsa, idest multitudo plebis sanguine Christi lavatur*. Demum pag. 84. *Hic nuper Baptizatos dicit, qui instar vineæ suaviter redoluerunt, & suavitatis odorem inspiraverunt, & horum animas malagranatis assimilat, eo quod & ipsa concolora facta sint tincta sancto Christi sanguine*.

Itaque non est hoc loco prætereundum silentio celeberrimum Auctorem præstantissimi Operis de Perpetuitate Fidei, quod pertinet ad Sacramentum Eucharistiæ, præter alias omnes hæreticorum machinationes hanc quoque

ex

ex comparatione locutionum, quas ſimiles uſurpatas oſtendimus a Patribus tum de Baptiſmate tum de Euchariſtia loquentibus, deductam penitus disjeciſſe, & luculentiſſime oſtendere[1] hæreticos ex metaphoricis loquendi modis, quibus uſi ſunt Patres ad virtutem ſanctitatemque Baptiſmatis declarandam, per ſummam injuriam concludere metaphorice etiam Patres loqui, ubi corpus & ſanguinem Jesu Christi in Euchariſtia eſſe dicunt. Scilicet cum utrumque ſacramentum multos ſimiles effectus habeat plane mirificos, ſimilibus etiam laudibus myſticiſque nominibus exornata ſunt, ſed Baptiſma, quia convenire eas laudes & nomina in illud aut proprie aut metaphorice ex ſacris Litteris manifeſtum erat, Euchariſtia vero ex eo ſolum, quod Euchariſticum panem & vinum ipſe Dominus corpus & ſanguinem ſuum appellaverit: neque enim de Euchariſtiæ Sacramento aliquid majus dicunt ſacræ Litteræ. Itaque quod Euchariſtia gratiam elargiatur, quod Chriſtus in ea verè cibus & verè potus noſter fiat, non ſolum ineptè dixiſſent Patres, ſed temere, ſed mendaciter, ſed planè ſuperſtitioſe, ubi Domini verba illa de vero corpore, & vero ſanguine accipienda eſſe non exiſtimaſſent. Præterea dicta eſt quidem aqua Baptiſmatis tum a S. Epiphanio, tum ab aliis etiam Patribus *ſanguis Chriſti*, & nos Chriſtiani dicti ſumus *lavati & tincti* Chriſti ſanguine: verum ecquis nam, & ubinam gentium ne leviter quidem ſuſpicatus eſt, has proprias eſſe locutiones, non autem metaphoricas ex eo deductas, quod verè a ſanguine Chriſti omnis virtus Baptiſmatis exoritur, & quod conſtat gratiam illam, quam in eo conferri docent ſacræ Litteræ, ipſius pretioſi ſanguinis effuſione nobis eſſe comparatam? Contra vero cum Patres corpus & ſanguinem

 J. Chri-

(1) La perpetuitè de la Foy de l' Egliſe Catholique touchant l' Euchariſtie defendue contre les Livres du ſieur Claude &c. *tom.2. lib.6. cap.15.*

J. CHRISTI in Euchariſtia eſſe tradunt, propriè quidem non metaphoricè loqui credendum eſt,& ſemper creditum;cum enim etiam tradant in ea Chriſtum ſumi, & gratiam ab ea conferri, deducere hæc non potuerunt, niſi ex eo quod verum corpus & verus ſanguis Chriſti in ea nobis detur ad manducandum & bibendum. Præterea ARNALDUS longam texit locutionum ſeriem,quas habent Patres,ubi de Euchariſtia ſermonem habent, quas numquam adhibuerunt loquentes de Baptiſmate, inde enim apertiſſime conſtat, non ſolum Euchariſtiam diſtinguendam eſſe a Baptiſmate, ſed etiam locutiones illas, quæ communes ſunt utrique ſacramento, diverſe accipiendas fore cum Baptiſmati aptantur, & cum prædicantur de Euchariſtia; communes enim locutiones quid hic valeant, & illic intelligamus oportet, & plane convenit, ex illis, quæ ſpeciales ſunt. In ea ſerie recenſetur præcipue Sancti EPIPHANII ſententia ex Ancorato, ubi Sanctus Doctor diſertis verbis nos docet, quod etſi nihil apparet in Euchariſtia, quod ſimile ſit corpori, nihilominus tamen, nemo eſt, qui fidem verbis illis non adhibeat: *hoc eſt corpus meum*. Profecto nuſquam alibi quid ſimile ſcriptum legitur de aqua Baptiſmatis, nimirum quod licet illa nullo pacto rubeſcat, & nos tincti ſanguine minime videamur, qui ſumus tali aqua lavati,opus eſſe tamen,ut illam vere eſſe rubram & nos vere eſſe tinctos vero J. CHR. ſanguine credamus.Verum enimvero ex Commentario in CANTICUM CANTICORUM aliam quidem haud minus præclaram S.EPIPHANII ſententiam habuiſſet ARNALDUS, ubi jam editum fuiſſet, & talis eſt: *Chriſtus & Eccleſia,* inquit EPIPHANIUS, *cum fuiſſent duo, facti ſunt in unam inviolabilem carnem, aſſumpſit enim Filius Dei de Eccleſia totum hominem, quo indutus eſt, & retribuit ei rurſus ad communionem ejus ſanctam carnem ſuam ad percipiendum eum. Ait enim:*

Acci-

Accipite & manducate, hoc est enim corpus meum. Et iterum: accipite & bibite, hoc est enim sanguis meus; & ita factum est, ut sint duo in carne una incorruptibili, in Divinitate inenarrabili, in caritate insolubili, in gloria incomprehensibili, in unitate indivisibili. Ubi nam de aqua Baptismatis talia, aut similia dicta esse novimus? Scilicet retribui in ea Ecclesiæ sanguinem illum, quem Filius Dei ab Ecclesia accepit, cum totum hominem accepit? Sed, quæso, verborum totius sententiæ vim, cujus auctoritas mirificè augetur, quod PHILO ipse eam descripserit, & ex PHILONE COSMAS Indicopleustes, consideremus. Inquit: *Filius Dei assumpsit ab Ecclesia totum hominem*; nimirum factus est, ut omnes nos, verus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens. Porro acceptum *hominem induit*; scilicet factus est quidem unus Christus verus Deus & verus homo, attamen non conversione Divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum, non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Sed Filius Dei accepit ab Ecclesia, nempe ab hominibus, *totum hominem*, *& retribuit ei carnem suam*. Qua de caussa retribuit? Quia dabat, quod acceperat. Quid vero retribuit? *Carnem sanctam suam*; sanctam quidem quia suam, & suam quia quod semel assumpsit numquam dimisit, unde in tota majestate sua Christus Deus & homo in Eucharistia est, quamvis verborum vi solummodo in ejus corpus & sanguinem fiat panis & vini transubstantiatio. Demum retribuit Filius Dei eam carnem, quam accepit, quando totum hominem accepit, & retribuit quia accepit, retribuit *ad communionem*, retribuit *ad percipiendum eum*. Itaque cum verum hominem acceperit, veram quoque carnem retribuisse constat; *& hinc Christus & Ecclesia cum fuissent duo, facti inde sunt in unam inviolabilem carnem*; nam ut non solum per dilectionem

nem, sed re ipsa in illam carnem commutemur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est: docente etiam S. Jo. CHRYSOSTOMO .[1]

Confirmat multa alia Ecclesiæ dogmata, & multa, quæ ad disciplinam spectant.

Ceterum sunt multæ etiam aliæ sententiæ in hoc S. EPIPHANII Commentario in Canticum Canticorum, ubi sacramentum Eucharistiæ prædicatur, cum nuptiarum Christi & Ecclesiæ, quas in eo sacro libro celebrari contendit sanctissimus interpres, maximum certe sit & splendidissimum opus: verum præclarissima omnium est illa, quam recitavimus, neque opus est hic ceteras recensere. Hoc unum modo animadvertere debeo, tum sacramentum Eucharistiæ tum alia quoque Ecclesiæ dogmata in hoc Commentario confirmari & illustrari; quinimmo plura etiam, quæ ad Ecclesiæ disciplinam pertinent. & exemplo sit quod de Diaconis legitur *p.97.* ubi illos turri S. EPIPHANIUS comparat, *quoniam eos,* inquit, *qui refugiunt ad Ecclesiam, muniunt velut in turre cautissima*. Nonne id respicit antiquam Ecclesiæ Græcæ disciplinam, apud quam Diaconi Ostiariorum munere fungebantur, quo postea, S. Maximo adnotante[2], functi sunt Subdiaconi, cum quibus jam Diaconi illud dispertiti ita erant, ut illis januas mulierum custodiendas reliquerint, sibi januas virorum reservaverint? Audiamus antiquissimum Auctorem Constitutionum Apostolicarum[3]: *οἱ δὲ διάκονοι ἱστάθωσαν εἰς τὰς τῶν ἀνδρῶν θύρας, καὶ οἱ ὑποδιάκονοι εἰς τὰς τῶν γυναικῶν, ὅπως μήτις ἐξέλθοι, μήτε ἀνοιχθῇ ἡ θύρα, κἂν πιστός τις ᾖ κατὰ τὸν καιρὸν τῆς ἀναφορᾶς. Diaconi vero stent ad januas virorum, & Subdiaconi ad januas mulierum; ut nemo egrediatur, neque aperiatur janua tempore oblationis, licet adveniat quispiam fidelis.*

Diffi-

(1) S. Jo. CHRYSOSTOMUS hom. 46. al. 45. in Joannem Oper. tom. 7. pag. 272. ed. Paris. tom. 1. pag. 375. & vide etiam p. 380. & tom. 2. pag. 224. & 134.

(2) S. MAXIMUS in cap. 5. Cœl. Hierarch. V. Oper. quæ dicuntur S. DIONYSII

(3) Auctor Const. Apost. lib. 8. cap. 11.

Difficilius intellectu eſt, quod item de Diaconis dicitur *pag. 96.*: *Quia caput Eccleſiæ Chriſtus eſt, iſti vero & corpus & ſanguinem baptizant, recte capitis Eccleſiæ, ideſt Chriſti cervix eſſe dicuntur.* Ecquid nam ſignificant verba illa *corpus & ſanguinem baptizant*? Numquid ſupplendum ibi eſt, aut reponendum, *miniſtrant*, ita ut ſignificetur Diaconorum officium miniſtrandi populo calicem, & panem in Euchariſtia; an potius dicendum ad illud reſpicere, quod etiam Diaconis adminiſtrandi Baptiſmum poteſtas erat, accepta tamen prius ab Epiſcopo licentia, necnon ubi urgeret neceſſitas, nec aliquis adeſſet Presbyter? Certe mirandum minime foret, quod in hoc loco S. EPIPHANIUS corpus & ſanguinem *Chriſti* vocaverit Chriſtianum populum, quum alibi Eccleſiam dicat Chriſto *concorporatam*, & quidem etiam *Chriſti corpus*, quo nomine plurimi etiam alii uſi ſunt Patres [1], quibus cum præclarè concinens URBANUS PP. II. in ſermone habito ad Claramontenſe Concilium; *Chriſtiani noſtri*, inquit, *fratres noſtri, membra Chriſti flagellantur. Effunditur ſanguis Chriſtianus Chriſti ſanguine redemptus, & caro Chriſtiana carni Chriſti conſanguinea nefandis ineptiis, & ſervitutibus nefandis mancipatur.* Sed tempus eſt: manum de tabula.

Difficilis locus, ubi de Diaconis ſermo eſt.



AD-

(1) Plures congerit SUICERUS in Theſauro V. Ἐκκλησία §. 2.

(2) V. Concil. HARDUINI tom. 6. col. 1725.

ADPROBATIONES.

Liber hic, quem attento animo perlegi, nihil in se habet, quod abhorreat vel a Catholica Religione, vel a bonis moribus, quum B. EPIPHANII opus contineat, nempe summi Ecclesiæ Doctoris, qui omne ferme hæreses suo invicto calamo contudit. In noti autem & præfatione ubique eruditio, & sana doctrin cl. editoris conspicitur. In quorum fidem &c.

Joh. Bottarius.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiss. Patri Sac. Pal. Apost. Magistro.

F. M. de Rubeis Arch. Tars. Vicesg.

IMPRIMATUR,

Fr. Nic. Ridolfi Sacr. Pal. Apost. Magister. Ord. Præd.



EXPOSITIO
S. EPIPHANII
EPISCOPI CYPRII
IN CANTICA CANTICORUM.[1]

PRÆFATIO.



C si quis aſcenſor equum, pedibus percutiens, ad currendum inſtiget, nolentemque cogat eſſe velocem, & curſu ad properandi impetum conſueſcat, ita & noſtrum pauperculum ſenſum pro feſtinatione pulſari, pedibus ſpecioſius, intendo, dum nutu mirabilium virorum, unius quidem Presbyteri, alterius verò Diaconi, ſpiritalem interpretationem in CANTICA CANTICORUM, ire a mea ſegnitie compulſus, adgrediar. Nunc igitur ambos rogo, ut non ſolum in præſente excitent ad explanationis impetum, ſed etiam ut orationibus ſuis mentem meam dirigant ad rectitudinem dictionis, quatenus ordinate currentes iter inculpabile gradiamur,

 mur,

[1] Ipſe titulus, quem habet Codex, is eſt. IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. EXPOSITIO EPIPHANII EPISCOPI CYPRII IN CANTICA CANTICORUM.

1. ad Timoth. cap. 3. v. 2. mur, & sermonem salutarem sumentes, *irreprehensibiles* secundum Apostolum, ac sensuum fructum meorum habentes ad immortalem beatorum urbem pervenire mereamur; non enim ex nobis aliquid habemus, sed ei, qui dedit, gratias referentes ad studium operis præsentis accedimus. Itaque cum dicaverit unusquisque Domino suum sensum, & mentem a terrena sapientia segregaverit, totumque . . . . . . intellectum . . . castitatis virtute composuerit animam, cælestemque gratiarum coronam in . . . . uo susceperit, sic contingat sanctam scripturam spiritualium Canticorum. Ipsa siquidem inscriptio eos, qui rectam cogitationem possident, accedentes ad hoc opus privat a carnali protinus intellectu; non enim simpliciter CANTICA inscribuntur, sed, sicut certe vocantur, CANTICA CANTICORUM [1]; sicut commemorantur *Sancta Sanctorum*. Nam sicut illa majorum sacramentorum & occultiorum habent honorem, cum utique semel in anno summus Sacerdotum in *Sancta Sanctorum* ingrederetur [2], sic & CANTICA CANTICORUM

[1] Divinus hic liber secundum Hebraicum titulum inscribendus est potius ΑΣΜΑ ΑΣΜΑΤΩΝ CANTICUM CANTICORUM, uti quidem inscribitur in antiquissimis omnium, qui supersunt Græci codices versionis LXX. Vaticanus, & Alexandrinus. Nuncupat tamen S. EPIPHANIUS ΑΣΜΑΤΑ CANTICA etiam in Panario h. 35. quæ est *Colorbasiorum* §. 3. *Oper. tom. 1. pag. 261.* ἐν τοῖς Ἄσμασι τοῦ Σολομῶντος: & in *Ancorato* §. 49. ἐν τοῖς ἄσμασιν & §. 104. ἐν τῷ βίβλῳ τῶν ἀσμάτων. *V. Oper. tom. 2. pag. 53. & 104.* & certe non ex privata sententia, nec recenti; multo enim antiquior ORIGENES a multis hunc librum dictum fuisse ΑΣΜΑΤΑ ΑΣΜΑΤΩΝ adnotavit, ut reprehenderet. *V. Oper. tom. 3. pag. 36.* Cur hanc lectionem hoc loci anteposuerit insignis Antiorigenista EPIPHANIUS, quis judicet? Certe neque illa alia melior illi erat invisa, ea enim utitur h. 59. quæ est *Catharorum* §. 9. ἐν τῷ Ἄσματι τῶν Ἀσμάτων: *& in Exposit. Fidei* §. 3. *V. Oper. tom. 1. pag. 500. & 1080.*

[2] Ingrediebatur sola die decima mensis Thisri, qui nostro Septembri respondet. Est autem hic locus maximè notandus, ex quo probari potest injuria S. EPIPHANIO adscriptum fuisse commentariolum quoddam *de Adamante*, quod edidit GESNERUS una cum Epitome libri S. EPIPHANII Περὶ τῶν δώδεκα λίθων *de duodecim gemmis &c.* Cum ante hos quinque annos primigenium ipsum Sancti EPIPHANII opus *de duodecim gemmis Rationalis summi sacerdotis Hebræorum* ex Cod. Vaticano descriptum vulgaverim, de illo Commentariolo hæc scripsi *pag. 76.*: *Utrum Sancti Epiphanii sit etiam Commentarius ille de Adamante, an epitomes auctor aliunde transtulerit, certo scire non possumus; mallem tamen Epiphanii non esse cum multis erroribus scateat, quos notare non præterit Braunius de vest. sacerd. Hebr. lib. 2. cap. 20. §. DCXXVIII.* Jam vero cum inter errores, quibus Commentariolum illud scatet, hic quoque occurrat: quod summus Hebræorum Sacerdos, ter in anno in

CORUM spiritalem & altiorem reconditorum intellectuum possident sacramentum. Sicut & ipsa *Sabbata Sabbatorum* majorem futurorum bonorum requiem habere præsenti securitate noscuntur; *Sabbata* enim *Sabbatorum* futuram in illo sæculo requiem, & præparatas securitatis illius repromissiones dicere sanctam arbitror Scripturam: illic enim *Sabbata Sabbatorum* futurique sæculi requies & præsentium cumulatio sabbatorum horum, quæ hic aguntur peccatorum segnitie, reperitur; qui enim hic in peccata pigri sunt, futuro sæculo perfecta requie perfruentur. Sicut ergo illa sabbata his sabbatis multo majora sunt, sic & CANTICA CANTICORUM majorem quandam & spiritalem sublimitatem habere manifestum est, & ultra Cantica, quæ in aliis voluminibus conscripta reperiuntur. Multa siquidem Cantica in libris Divinis ascripta sunt. Attende Canticum Mose: *Cantemus*, inquit, *Domino, gloriose enim honorificatus est*: & alia similiter Cantica, quæcumque in Lege [1] reperiuntur. Attende etiam Esaiæ Canticum: *Cantabo*, inquit, *ei, qui dilectus est canticum dilectæ vineæ meæ*. Attende & Canticum, quod cantatur ab Anna: *Confortatum est*, inquit, *cor meum in Domino*: & alia Cantica quæcumque sunt in Psalmis: *Cantemus*, inquit, *Domino canticum novum*: & quæcumque Cantica

Exod. cap. 15.
Isaiæ cap. 5.
1. Reg. cap. 2.
Al. Cantate Ps. 95. 97. 149.

in Sancta Sanctorum ingrediebatur: multo confidentius a S. EPIPHANIO abjudicare modo possumus, cum ille in hoc loco commentariorum IN CANTICA CANTICORUM diserte scribat: *quod utique semel in anno summus Sacerdotum in Sancta Sanctorum ingrediebatur*, uti quidem tradidit etiam in *Panario* h. 29. quæ est *Nazaræorum* §. 4. & h. 78. quæ est *Antidicomarianitarum* §. 13. *V. Oper. tom. 1. pag. 119. & 1045.* quod enim scripsit PETAVIUS *in notis* ad h. 78. S. EPIPHANII *pag. 332.* τὰ ἅγια τῶν ἁγίων in eo Commentariolo pro ἁγίοις templi usurpari non pro intimis adytis, quæ erant *Sancta Sanctorum*, scriptum est inutiliter, nec vere. Quamobrem vanum plane est, & inopportunum, quod BRAUNIUS ex illo Commentariolo acerbum falsissimumque SS. Patribus crimen movit his verbis: *Integrum, hunc locum sic exscribere volui, ut manifestum fieret, quam crasse Patres sæpissime errare soleant in rebus Judaicis, & in interpretanda S. Scriptura, ut cuilibet constaret, quousque ipsis fides adhibenda sit in Religionis negotio*. Non est S. EPIPHANII insulsus ille *de Adamante* commentarius.

[1] *Legem* intelligit S. EPIPHANIUS Pentateuchum. *In lib. de Mens. & Ponderibus* §. 4. *Oper. tom. 2. pag. 162. Veteris Testamenti libri omnes hac serie percensentur. Quinque ad* LEGEM *pertinent: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium*. Porrò, Cantica, quæ in Pentateucho reperiuntur, præter illud Moysis, sunt: *Ascendat puteus*. *Num. 21. v. 17. Profiteor hodie*. *Deut. 26. v. 3. Audite Cæli quæ loquor &c. Deut. 32. vers. 1.*

Cantica in Divinis invenis Scripturis. [1] Sed majori & nobiliori nimis titulo, sicut *Sancta Sanctorum*, & *Sabbata Sabbatorum*, honorata sunt CANTICA CANTICORUM.

Videtur itaque mihi subtilius intelligendum esse sensum sacræ hujus scripturæ & nimis altissimæ, quum non dixerit *Cantica canticorum*, *quæ fecit Salomon*, seu *quæ dixit Salomon*, sed CANTICA CANTICORUM, QUÆ SUNT IPSI SALOMONI. Quia enim *Salomon* pacifer vel pacificus interpretatur, propterea hæc CANTICA CANTICORUM omni pacificato, & ab scandalis fornicationis intellectualis privato præscripta noscuntur. Nam nisi quilibet proprium sensum secernat a passionibus, non erunt ei CANTICA CANTICORUM, neque *Sancta Sanctorum*, neque *Sabbata Sabbatorum*. Qui vero cuncta respuens, quæ scandalum faciant, & veram concupiscens pacem, suam animam simul & corpus castitatis virtute coronet; erunt ei CANTICA CANTICORUM: cum nihil terrenum, nihil carnale ab his intellexerit: sed omnia, quæ conscripta sunt spiritaliter suscipiens, pacificatus vere constiterit: ait enim, *Pax multa diligentibus nomen tuum Domine*, *& non est eis scandalum*. *Ps. 118. v. 165.*

Sicut autem in domo sunt quædam vestibula, sunt januæ, porticus, & triclinia, & aulæ splendidæ; in his autem omnibus est interius cubiculum, quod appellatur thalamus, in quo sponsa cum sponso requiescens secreta altioris intelligentiæ ei præloquitur; sic & in CANTICIS CANTICORUM sancta Sponsa Ecclesia profunda sacramentorum Fidei verba proprio sponso, velut in thalamo constituta, præloquitur, in quibus dicit: *Osculetur me ab osculis oris sui*.

EXPLICIT PRÆFATIO.

INCIPIT

[1] En cetera Cantica, quæ in Divinis Bibliis occurrunt. Deboræ & Baruc *Judic.* 5. v. 2. Davidis 2. *Reg.* 7. v. 18. *Paral.* 1. c. 17. v. 16. Ejusdem Davidis 2. *Reg.* 22. v. 2. & aliud 2. *Reg.* c. 23. Ezechiæ apud Isaiam 38. v. 10. Jonæ c. 2. v. 3. Habacuc *cap.* 3. S. Mariæ Virginis Deiparæ *Luc.* 1. v. 46. Zachariæ *Luc.* 1. v. 68. Simeonis *Luc.* 2. v. 29.

INCIPIT EXPOSITIO
S. EPIPHANII EPISCOPI CYPRII
IN CANTICA CANTICORUM.[1]

I. OSCULETUR ME AB OSCULIS ORIS SUI.

PRincipium in eo, quod dictum est: *Osculetur me ab*
osculis oris sui, tamquam petitoribus a cælesti sponso
ad sponsam carissimam destinatis, & sponsi pulchritudi-
nem ei narrantibus: hoc est Esaia clamante ei: *iste* *Isaias 6 3. v. 1.*
speciosus in stola: & alio dicente: *speciosus forma præ filiis* *Ps. 44. v. 3.*
hominum: & rursus alio suadente, eique dicente: *amicus fide-* *Ecclesi. c. 6. v. 14.*
lis protectio fortis: *amicus fidelis medicamen vitæ*: *amico fideli* *16. 17.*
non est compensatio. & David ei conloquente: *audi filia, & vide,* *Ps. 44. v. 11.*
& inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum & domum
patris tui, & concupivit Rex speciem tuam, quoniam ipse est
Dominus: & iterum Esaia legales nuptias honorante, & di- *Isaias c. 62. v. 5.*
cente: *sicut lætabitur sponsus in sponsa, sic lætabitur Dominus*
in te. Velut istorum ergo sermones auribus suis accipiens, aut
ab aliis similiter evocata sponsa clamat, & dicit: *Osculetur me*
ab osculo oris sui. Tu ergo quicumque legeris spiritalia Canti-
ca, dum osculum spiritale, & carne impollutum audieris, noli
mentem carnea libidine vulnerare. Osculum vero spiritale
ab osculo carnali multum & incomparabiliter differt, sicut
enim dies a nocte lumine plus excellit; & sicut est corpus ani-
male & corpus spiritale: sic est osculum corporale & osculum
spiritale; & sicuti sunt corpora terrestria, & corpora cælestia;
secundum Apostolum: sic sunt & oscula terrestria & oscula
cælestia. Sed osculum quidem quod a terra est, deorsum decli-
nat ad terram: osculum vero, quod de cælo est rursum trahit
ad cælum. *Alia quidem cælestium*, inquit, *gloria, alia vero ter-* *Ad Cor. cap. 15.*
restrium. Alius est amor, qui de inferioribus ingerit terrenas *v. 40.*
cogitationes, de pecuniis, de prædiis, & passione libidinis:
alter

[1] In cod. erat: INCIPIT EXPOSITIO EPIPHANII EPISCOPI CYPRII IN CANTICIS CANTICORUM.

alter vero, qui circa cælestem vacans ætherio spiritu sensum emanat ad superna volabilem, & dilectionem ad Dominum, qui nos dilexit. Amor igitur mistus est boni, atque mali. Bonus enim est amor circa nuptias, malus vero circa fornicationem. Non enim omnes ad solas conjuges, quæ eis a Deo legitime sunt conjunctæ, suo desiderio protrahuntur. Nam quibus illæ sufficiunt, bonum est. Sed multi & cum iniquitate sua furtivos concubitus agunt, in quibus pessime convolvuntur. Hic amor eos, conversus in inimicitias, accusabit, dum judicium Dei, quod occulta referat universorum, advenerit, reddens unicuique, quæ digna sunt. Amor vero supernarum rerum sanctus est: æternas suavitates habet: emanat lætitias incessabiles: infinitas fragrationes inspirat: ineffabilem possidet gloriam: defert honores cum angelis sanctis æquales, ipsumque Dominum, qui nos dilexit, nobis velut ex speculo reserat: excellentis gratiæ dona procurat: fiduciam circa Dominum generat: culmen justitiæ subministrat, & in terra nobis honorem, & in cælis gloriam præparat sempiternam. Audistis quidem *osculi* & *osculi* differentiam, atque judicium. Cognosce discretionem. Elige, quod melius est. Fuge, quod lædit. Tene, quod salvat.

Ad Rom. cap. 8. v. 26. 27. *Osculetur me osculis*, inquit, *oris sui*: ait enim Apostolus: *Quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed Spiritus interpellat pro nobis ad Deum gemitibus inenarrabilibus; qui autem perscrutatur corda, novit, qui sit sensus spiritus, quia secundum Deum interpellat pro sanctis*. Et in hoc igitur intellige sanctum Spiritum pro Ecclesia ex tunc præinterpellantem, antequam Domino jungeretur, & velut ex persona eius ad Deum prona intentione dicentem: *Osculetur me ab osculis oris sui*: vere enim nimis congruum erat, ut tantum quæreret amoris divini pignora, quanto ejus erat indigna; inimica namque facta fuerat propter idolorum vesaniam, & studet reparare concordiam.

Osculetur me, inquit, *ab osculis oris sui*, hoc est, Filius. Ac si diceret: osculari nolo ex ore solummodo Prophetarum; sed ipse adpropinquet, & osculetur me ab osculis oris sui. Sursum habe nunc mentis oculum. Non est carnale, sed spirituale, quod dicitur. Non vult enim per os solummodo Prophetarum doceri;

ceri; sed ipse, inquit, Filius adpropinquet, & doceat me ab osculis oris sui. Mater enim mea Ecclesia aliquando dicebat: pusillis non salvabor: magnum & perfectum medicum requiram, mero perfusa sum, tenebræ sunt lucerna legis, & prophetæ; ait enim: *lucerna pedibus meis lex tua, & lumen semitis meis*, Ps. 118. v. 105. & non valebunt inluminare me; nisi, quod perfectum est, venerit lumen, ut excellentia claritatis excellentiam extermmet tenebrarum, & viam videam, quæ me ad paradisum rursus educat.[1]

Osculetur me ab osculis oris sui. Transcendit legem, supergreditur quoque studio suo Prophetas, & in ipso Unigenito osculari se orat Ecclesia; os enim Dei est Filius. Unde etiam cum Deus sit, *Verbum* appellatur, quoniam omnia quæcumque vult, per Filium loquitur Pater. *Osculetur me*, inquit, *ab osculis oris sui*, & non dixit *in osculo oris sui*, sed *ab osculis oris sui*, tamquam ab his osculis, quæ olim jam fuerant. *Ab osculis*, inquit, *oris sui*, hoc est his, quibus antiquos justos, & Patriarchas, & Prophetas osculatus est, osculetur & me. Antequam congregaretur a gentibus, dicebat Ecclesia: *Osculetur me*: ac si diceret: non solum per Prophetas, sed etiam per Filium;Sicut & Prophetas denique & accepit quod fideliter postulavit. Recede igitur, recede nunc homo, & secundum litteram hæc intelligere ne contendas; *littera* enim *occidit, spiritus autem vivificat*.[2] Non enim oportet hoc carnaliter accipi, sed spiritaliter. Osculis enim, quibus osculatus est Abel in oblationibus ovium, osculatus est & hanc, rationales oves Ad Cor. c. 3. v. 6. Domino, id est, suos filios offerentem. Sed Abel gloriam Genes. cap. 4. mortis assumpsit pro amore, quem ad Dominum habuit: & huius martyres similiter pro Domini dilectione defuncti sunt.

Osculetur me ab osculis oris sui. *Ab osculis suis*, quibus oscu-

[1] S. Epiphanius hær. 66. quæ est *Manichæorum* §. 64. *Oper. tom.* 1. *p.* 678. *Cum peccati caligine obcæcatæ mentes hominum forent, principio Lex est a Deo missa, quæ, velut sublata lucerna, collustraret, quod in Epistola sua Petrus indicat his verbis: Attendentes prophetico sermoni, tamquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec lucifer oriatur, & dies illucescat in cordibus vestris*. (Petr. cap. 1. vers. 19.)

[2] S. Epiphanius *in Ancorato* §. 22. *Oper. tom.* 2. *p.* 27. *Quare sacrarum Litterarum vim intelligamus, ne nobis in mortem littera ipsa vertatur. Littera enim, ait Apostolus, occidit, spiritus autem vivificat*. In Physiologo autem cap. 18. *Oper. tom.* 2. *p.* 213. *Tu vero, o homo, sermones veteres a spiritualibus separa; littera enim interficis*.

osculatus est Enoch, osculetur & me. Confide O beata! osculatus est enim te, sicut etiam Enoch. Quemadmodum enim ille a Deo transpositus; in terra non est inventus, sic & tu transposita ab ignoratione in Dei solummodo cognitione reperieris. Sed & tu a terra translata es, tibi est enim pulchritudo cælorum, de qua dicit Apostolus: *conversatio nostra in cælis est*. Te induit Christus in cælo, & tu quoque eo vestiris in anima, licet esse videaris in terra. Suscipiet autem te totam in cælo sponsus, cum advenerit resurrectionem tibi conferre, & omnia membra dormientia de vaginis propriis suscitare. Tunc ad thalamos cælestes eveheris, & cum Filio sponso, ipsoque omnipotenti Patre ineffabiles epulas perenniter possidebis. Tunc etiam universa carnis desideria damnabuntur, dum spiritales nuptiæ venerint, tunc inerumpibilibus vinculis, hoc est membris tuis, epulæ reserabuntur æternæ.

Osculetur me ab osculis oris sui. Ab osculis, quibus osculatus est Noe, osculetur & me. O fratres, magna, magna Domini circa Noe dilectio,[1] cujus judicium sumitur per arcæ constructionem. Nam cum omnis mundus fuisset deletus, ipse ad renovationem novæ creaturæ servatus est. Sed amata Dei Ecclesia majori vinculo caritatis, & plus quam Noe dilecta cognoscitur. Noe siquidem typus fuit Ecclesiæ.[2] Ille de diluvio cum filiis per lignum salvatus est: hæc autem ex igneo diluvio consummationis sæculi per Crucis Salvatoris lignum cum majori filiorum fæcunditate salvabitur. Noe per amicitiam quam ad Deum habuit, suos filios ad semina terræ servavit, hæc autem in amicitia Domini constituta cives multos regnis cælestibus procreavit. Vicinus autem testis est nobis de his magnus Esaias, qui fœcunditatem ejus de Christo prophetavit dicens:

Genes. cap. 6.

[1] S. Epiphanius hær. 39, quæ est *Sethianorum* §. 6. *Oper. tom.* 1. *p.* 288. *Unus ex omnibus Noemus servatus est, qui gratiosus apud Deum extiterat, quod ætate sua justus esset inventus*. Ec entee, nimirum *Oper. tom.* 2. *p.* 4. *Unus in Arca Noemus Dei jussu servatus est, utpote eidem acceptus, & cum primis apud illum gratiosus*.

[2] Frequens est apud SS. Patres Ecclesiæ cum Arca Noe comperatio, & apud S. Epiphanium occurrit hær. 51. quæ est *Alogorum* §. 2. *p.* 423. ubi de Hæreticis ita loquitur: *Quamquam nihil adversus Arcam conatus istorum proficit, quam ideo munire ac firmare Sanctus Noe divina voce commonetur. Sic enim Deus præcepit: linies eam bitumine intus & foris. Ut Sancta Dei Ecclesia speciem præberet, quæ bituminis vim habet, qua perniciosa ac lethifera serpentum dogmata propulsantur*.

cens: *in morte traditus est, & inter iniquos deputatus: & ipse peccata multorum portavit, & propter peccata eorum traditus est.* Isaias cap. 53. v.12. c.54. v.1. *Lætare sterilis, quæ non pariebas: erumpe vocem: clama, quæ non concipiebas, quia multi filii potius desertæ, quam habentis virum.* Sterilis enim erat hæc aliquando, nec penitus Dei concipiens verbum, deserta autem quia sicut spinis perversitate, & dogmatibus impiis pullulabat. Dei vero Filio pro ea nunc passo, & ipsa rursus in ejus latere non carnalibus passionibus, sed spiritalibus participata Sacramentis, multitudinem ei genuit filiorum. Et ultra synagogam Israël, quæ tamquam maritum Legem habere putabatur, hæc autem non Legem, sed Legislatorem habet virum, & ei, qui per Legem in nuptiis spiritalibus prædicatus est, jungi promeruit, sicut alicubi dicit Apostolus spiritalia spiritalibus comparans: *Viri debent diligere* Ad Ephes. c. 5. v.21. *uxores sicut & Christus Ecclesiam.* Non solum autem hoc, sed etiam Adam introducit [1], ait enim: *Propter eam relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, &* Ibid. v. 31. 32. *& erunt duo in carne una: Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christum & Ecclesiam.* Vere enim magna sunt superna mysteria ab Adam de Christo & Ecclesia dispensata. Sicut enim Adam soporatus est, & accipiens unam costam ejus ei plasmavit uxorem, sic & Dominus noster JESUS CHRISTUS pro nobis soporatus est morte, ut ex ejus latere sanctissima, & ei concorporata fabricaretur Ecclesia. Quia vero sicut ex latere Adam mulier, sic & Ecclesia ex latere Christi facta est, in Evangelio secundum Johannem testimonium firmum nimis habemus: ait enim: *& percussit quidam latus Jesu* (postquam crucifixus est, & quando pro nobis morte soporatus est) *& exiit aqua & sanguis, & qui vi-* Jo: c.19. v.34. 35. *dit testimonium perhibuit, & verum est ejus testimonium, & ipse novit quia verax est.* Qui enim percussit latus Jesu, unus fuit eorum, qui crucifixerunt eum, & judicium sumpsit, ait enim: *videbunt in quem compunxerunt:* Deus autem Domi- Ibid. v. 37 ex Zach. cap. 12. v.10.

nus,

[1] Hanc sententiam: *Propter eam relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*, mutuatus est Apostolus ex *cap.* 3. Geneseos *v.* 24. ubi interpretes al.i dictam putant a Deo, alii a Moyse libri auctore, & alii ab Adam: S. EPIPHANIUS autem cum his in hoc loco concinit uti etiam in *Panario* h.48. quæ est *Cataporygastarum num.* 6. *Oper. tom.* 1. *pag.* 408. *& h.* 64. quæ est *Origenianorum num.* 21. *pag.* 146.

nus, ut ostenderet eis, quia omnia quæcumque faciebant contra ipsos, hæc & pro gentibus agebantur, fecit illa percussione currere aquam & sanguinem. Cur enim aqua & sanguis ex latere mortui Jesu exibat? Nisi quia jam magnum hoc ædificabatur, & mirabile Sacramentum? Quatenus sicut dormiente Adam accepit unam de costis ejus, & ei fecit uxorem; sic ex

Jo: ep. 1. c. 5. v. 8.

latere mortui pro nobis Jesu accipiens aquam & sanguinem in his sibi reædificaret Ecclesiam. Aqua quidem ex ejus carne, qua baptizata est ei atque clarificata: sanguine vero ex ejus latere recurrenti, quo redempta est, eique conjuncta: spiritu autem quo Divinitati ejus compararetur, atque perficeretur; *Quia tres*, inquit, *sunt, qui testificantur, aqua & sanguis & spiritus, & quia tres unum sunt.* [1]

Et qui vidit, inquit, *testimonium perhibuit, & verum est ejus testimonium, & ipse novit quia vere dicit*. Quid est istud, o Christi carissime & sanctissime Johannes? Quid est, quod inter omnia verba tua hoc maxime verbum verum esse confirmas, cum omnia vera atque fidelia te dicere confidamus? quæ est hic abundantia testimoniorum talium? De omni siquidem causa & dispensatione, per quam Christus inhumanatus est, atque passus, testimonium fidelibus exponebat, & ideo non in se solum modo, sed etiam in his, qui conspexerunt rem adduxit; in ore enim duorum vel trium testium stabit omne verbum, & propterea ultra omnia superiorem oportebat esse sermonem de copulatione Christi, & Ecclesiæ. Illa enim aqua, & sanguis de latere progressus

[1] Nota: exstant enim plures Codices Epist. 1. S. JOANNIS, qui licet habeant c. 5. versiculum septimum: *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum, & Spiritus: & hi tres unum sunt*: omittunt tamen hunc versiculum octavum: *tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, & aqua, & sanguis: & hi tres unum sunt*: aut in hoc versiculo omittunt ultimum illud membrum: *& hi tres unum sunt*. Præterea notandum quoque est, deesse hic τὸ *in terra*: & ultimum versiculi membrum ita exprimi: *& quia tres unum sunt*. Verum in Græco textu Ep. S. JOANNIS legitur: καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν. Ubi vulgata reddens verbum verbo habet: *Et hi tres unum sunt*. CALMETTUS monet S. AMBROSIUM *lib. 3. de Sp. S. cap. 11.* & Auctorem libri *de Unica Deitate Trinit.* & libri *de Fide ad Theophyl.* nec non CLEMENTEM ALEX. *in Latinis Cassiodori* legisse: *& hi tres unum sunt in Christo Jesu*. Verum apud CLEMENTEM ALEXANDRINUM, ut videre est *Oper. tom. 2. pag. 1011. edit. Oxon.* ita legitur: *& hi tres unum sunt. In Salvatore quippe ista sunt virtutes salutifera &c.* Quin etiam alii minus recte a CALMETTO ad propositum laudantur.

greſſus ſignum fuit, & inſolubile vinculum Chriſti, & Eccleſiæ, ſicut etiam coſta, quam accepit Deus ex Adam Sacramentum fuit indiviſibile legitimarum, & honorabilium nuptiarum. Sic enim ait: *Et eduxit Deus uxorem Adam, & dixit Adam: hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro ex carne mea, hæc vocabitur mulier, quia ex viro ſuo ſumpta eſt.* Hoc & Apoſtolus de Chriſto, & Eccleſia dicit: quia membra ejus ſumus ex carne ejus & ex oſſibus ejus: *Et vocavit*, inquit, *Adam nomen uxoris ſuæ vitam, quia hæc eſt mater omnium viventium;* quanto magis hoc Eccleſia congruentius vocabitur? Eva enim e terra ſumpta, mater eorum eſt, qui in terra vixerunt; hæc autem de cæleſtibus deſponſata, mater eſt cæleſtium, qui vitam perpetuam perceperunt: propterea dixit: *Relinquet patrem & matrem, & adhærebit uxori, & erunt duo in carne una.* Dixit hoc Apoſtolus in Chriſtum & Eccleſiam præcipue: namque Chriſtus & Eccleſia cum fuiſſent duo, facti ſunt in unam inviolabilem carnem, adſumpſit enim filius Dei de Eccleſia totum hominem, quo indutus eſt, & retribuit ei rurſus ad communionem ejus ſanctam carnem ſuam ad percipiendum eum. Ait enim: *Accipite & manducate: hoc eſt enim corpus meum.* & iterum: *accipite, & bibite: hoc eſt enim ſanguis meus*, & ita factum eſt, ut ſint duo in carne una incorruptibili, in divinitate inenarrabili, in caritate inſolubili, in gloria incomprehenſibili, in unitate indiviſibili. Hæc eſt itaque dilectio, hoc eſt Chriſti oſculum. Intellige quia ſanctus Spiritus oſculandam orabat Eccleſiam, in hujus enim dilectione illi, qui aliquando fuerant inimici, a clementi Domino in caritate ſuſcepti ſunt. Propter hoc oſculum cæli Dominus in terram deſcendit, ut Eccleſiam ſuam in terra conſtitutam, glorificatam ſuper cælos eveheret. Propter hoc oſculum morte deſcendit in mortem, ut ejus membra, quæ erant in morte, reſuſcitaret, eamque Patri integram Chriſtus offerret. Propter hoc oſculum principes apoſtaſiæ, gluttientes illud unde obmutuerunt, confuſionis tabe fluxerunt. Nobis autem, qui aliquando eramus in tenebris, majoris luminis dies effulſit.

Gen. c. 2. v. 19.

Gen. c. 3. v. 20.

Matth. cap. 26. v. 26. 27. 28. & 1. ad Cor. c. 2. v. 24.

Oſculetur me igitur oſculis oris ſui; illud oſculum, & illæ nuptiæ omnibus quidem ſunt paſſionibus alienæ, & totius puritatis accommodæ. Pulchritudo enim eſt etiam præſens con-

 junctio

junctio his, qui bene converſantur; & honorabiles nuptiæ, ſed iis in ſancta Chriſti Eccleſia melior eſt virginitas [1], ait enim: *Deſponſavi enim vos uni viro, virginem mundam præſentare Chriſto*. Non itaque ſemetipſam ſe ſic abſtinuit mulier a multinubiis, ſicut hæc mundam ſe cuſtodivit a multis Diis. Synagoga Iſraelitarum omni vituperationi ſubjacet, a Prophetis arguitur, & propter fornicationem idolorum ſæpius increpatur; hæc autem ad confidentiam munditiæ ſuæ teſtes habet veritatis, qui pro ea defuncti ſunt, & pro pietatis nomine conſummati. Hæc igitur audiens nuptias a pollutione quidem carnis extraneas, & immaculatas fece libidinis, ſpiritalis autem caritatis eſſe participes, adſtipulantes etiam perpetua Sacramenta, a peccatis mundam ſe continens ſponſi cæleſtis nuptias comparavit, illorum magis corruptis quidem hominum oculis inviſibiles, angelis vero, & his, qui poſt reſurrectionem digni fuerunt, viſibiles. Hujus itaque thalami ſublimitatem nimis elatam palliorum varietas non exornat, ſed cælum cæli cum gloria, & velamentorum ineffabilium Sacramenta: ait enim: *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum*. Hymni verò illi magno ſponſo non a terrena mente, nec a corporalibus deſideriis decantantur, ſed a centum quadraginta quattuor millia millibus ſecundum Johannis Apocalypſim, qui ſponſa Eccleſia digni eſſe noſcantur. Et Domino huic, magno ſponſo,

2. ad Corinth. cap. 11. v. 2.

Pſ. 113. v. 16.

Apocalyp. cap. 7. & 14.

[1] S. EPIPHANIUS h. 48. quæ eſt *Cataphrygaſtarum* §. 9. *Oper. tom. 1. p. 410. Eccleſia*, inquit, *Catholica & virginitatem prædicat, & cœlibem vitam, ac caſtimoniam, viduitatemque collaudat, & honeſtas nuptias colit, & adprobat*. Et poſt pauca: *Iis delectatur quidem, qui ejuſmodi pietatis ſpecimen præſtare potuerint, ut virginitatem, caſtimoniam, continentiamque profiteantur: ſingulares porrò nuptias commendat*. Et h. 69. quæ eſt *Apoſtolicorum num. 111. pag. 508. Dei Eccleſia honeſtas nuptias admittit ac veneratione proſequitur .... Nec minus virginitatem habet, eamque magnoperè prædicat &c.* Et h. 67. quæ eſt *Hieracitarum num. 6. pag. 714. Quod vero de electione plura dicit, qua Salvator virginitatem, continentiam, & caſtimoniam elegit, quis hoc non intelligit de eodem delectu gloriari quoque ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam? Sed eadem nihilominus, & eos quoque, qui honeſtis nuptiis illigati ſunt, pro ſuæ conditione ſtatus ad ſalutem pervenire poſſe non dubitat &c.* Demum in Expoſitione Fidei Catholicæ *num. 21. pag. 203. Fundamentum ac veluti crepido quadam in Eccleſia virginitas eſt, quæ a pleriſque colitur, & obſervatur, & in illuſtri quadam gloria, ac prædicatione verſatur*. Et poſt pauca, In quibus memorat ſolitariam vitam, deinde continentiam, demum viduitatem, ſubjungit: *Poſt gradus illos, & ordines ſuum quoque locum obtinent honeſta nuptiæ, præſertim ſingulares &c.*

ſo, cubicula non terrena, ſed cubicula ſunt cæleſtia, quatenus cum lætitia dicat ſponſa: *Introduxit me Rex in cubiculum ſuum.* Magno ſponſo Domino, & ſponſæ Sanctæ Eccleſiæ non eſt deſiderii carnalis communio, ſed munditia, Dei cultrix, media fiducialiter inter ſponſos adſiſtit. Si quis & nunc eorum, qui in hac Eccleſia degunt, nuptias habeat cum perfecta munditia, imago quædam, atque figura eſt æternarum illius gloriæ nuptiarum. In his thalamis non eſt cultura varia hominum arte confecta, ſed velamina ſunt cæleſtis, & ineffabilis Sacramenti. Huic ſponſæ aromata, non ex terrenis floribus, arboribuſque conficiuntur, ſed ex pulchritudine paradiſi præparantur, animarum ſanctarum epulis opportuna. In illo thalamo diademata non de bratteis, puſillam delectationem habentibus, ſed una & maxima illic incorruptionis corona conſiſtit, quam reddit Dominus his, qui in eam fideliter permanſerunt. Corona enim gloriæ illius erit ei, qui permanſerit uſque ad finem. Gloriæ namque hujus ubertas non ſolum in terra eſt, ſed in cælo, & in terra, eo quod hujus ſponſus cæli, terræque ſit Dominus. Beati, qui ſine pollutione veſtimentum nuptiarum iſtarum, quod eſt baptiſma, ſervaverunt; iſti procul dubio cum ſponſo, & ſponſa in conſpectu omnipotentis Patris epulabuntur illis ineffabilibus deliciis & æternis.

II. QUIA BONA SUNT UBERA TUA SUPER VINUM.

Duo ubera, duo Teſtamenta dicenda ſunt, a quibus etiam filii lactantur Eccleſiæ, lingua ſimul & mente, verba veritatis accipientes, & in perfectam vitam, ætatemque creſcentes. Hoc poculum ſuper vinum eſt. Non enim hauritur e terra, ſed de cælis emanat, ait enim: *Expectetur ſicut pluvia eloquium meum, & deſcendant ſicut ros verba mea.* Igitur qui ſupernam contemplationem habent ex Scripturis [1], hoc poculo lactabuntur ſicut lingua, ſic mente, & ſicut in intima ventris, ſic hoc fundunt cordibus a triſtitiæ turba ſedatis per pœnitentiam, & re- *Deut. c. 32.*

[1] COTELERIUS *tom. 1. Monum. Eccleſiæ Græcæ pag. 429.* Apophthegmata Patrum edidit, inter quæ hæc S. EPIPHANIO tribuuntur, quæ cum his plane reſpondent. Epi-

& remissionem omnium peccatorum. Quod enim cor non lætabitur, licet nimis fuisse peccato videatur oneratum, si ad compunctionem venerit, & ex Veteri quidem Testamento au-
Jerem. c. 31. v. 34. dierit dicente Judice: *Ego sum, qui deleo peccata tua, & non memorabor amplius?* Quis autem non exultabit, cum in Novo audierit Testamento, dicente Domino: *Omnem venientem ad*
Jo. c. 6. v. 37. *me non abiciam foris?* Quisquis ex istis uberibus spiritalibus biberit, nequaquam saginam impietatis excipiet, & vino inimicorum non inebriabitur, sed ejus cor justitiæ germine satiatur.

Quia bona, inquit, *sunt ubera tua super vinum*. Sicut enim duo ubera ambo inhærent cordi, sic & duo Testamenta ex S. Spiritu adsunt, & spiritalia dona nobis emanant. Ex his bibentes sapientiam temperatam satiabiliter inebriabuntur, ut de terrenis nequaquam debeant esse solliciti, sed cælesti spiritu ferventes. Imaginari & reor hoc, est, quod in Davidico scri-
Ps. c. 22. v. 5. ptum est: *Poculum tuum inebrians me quam præclarum est!* Præclarum autem pro fortitudine posuit, non enim solvit velut ebrietas, ut obscuratus quis corruat, sed exultatione magis impinguat, & inde corroborat, quatenus aliquis in terra non corruat, sed consistat in indeclinabili rectitudine ad Deum, sicut Hieremias in Veteri dicit: *Factus sum sicut vir contritus,*
Jerem. c. 23. *& sicut homo compressus a vino a facie Domini & a facie decoris gloriæ ejus*. Sicut enim qui ex ebrietate contriti sunt, nec quando conteruntur, aliquid pati videntur, vincit enim ebrietas dolorem contritionis, & vino doloris sensus expellitur, sic & Propheta a facie gloriæ Domini super omnia gaudio inebriatus inlatas sibi ab adversariis contritiones, non velut vulnera, sustinebat: vincebat enim lætitia, quæ ei ex decore Domini inerat; & gaudium, quod habebat ex Domini gloria, dolores ab ejus mente pellebat. Talis est ergo Sanctorum ebrietas. Hac est ebrietas cum sponso cœnantium; hoc poculum Dei

Epiphanius dixit: necessaria est iis, qui comparare possunt, Christianorum librorum possessio. Ipse enim per se librorum conspectus nos efficit segniores ad peccatum, invitatque ut ad justitiam magis erigamur .... Dixit adhuc: magna cautio est, ne peccemus, lectio Scripturarum. Non absimilia legimus in *Physiologo* cap. 5. ubi S. EPIPHANIUS hominem, ita adloquitur: *Si quando serpentem, idest peccatum, intra cordis recessus deprehenderis, ad fontes aquarum, hoc est, ad Scripturarum scaturigines statim confuge, sanctam videlicet gratiam (quemadmodum Propheta interpretantur) hauri &c.*

Dei ſcientiæ, & caritatis. Hac ebrietate & Sanctus Apoſtolus inebriatus, alia omnia damnum putabat propter excellentiam ſcientiæ Dei. Hac ebrietate & Sancti Martyres inebriati in dolore levigabantur ſupernæ lætitiæ muneribus impinguati.

ad Philippenſes c.3. v.8.

III. ET ODOR UNGUENTORUM TUORUM SUPER OMNIA AROMATA.

Ad exhortationem Eccleſiæ Sanctus Spiritus tali Domino utitur melodia, ut nos hunc odorem ſentientes fœtorem quidem ſceleratorum peccatorum omnino reſpuamus, bonum vero odorem Chriſti juſtitiæ in nos hauriamus.

Odor, inquit, *unguentorum tuorum ſuper omnia aromata.* Unguentum, fratres cariſſimi, in honore regali, & Sacerdotali fuiſſe conſtitutum a Sanctis didicimus Scripturis. Non enim vobis multiſciis ignotum hoc judico, quoniam ſecundum Scripturas, Reges per unctionem regnare conſtituebantur, ſed etiam illud vobis clarum eſſe conſpicio, quoniam & tunc Sacerdotes unguento uncti Sacerdotio fungebantur. Quoniam igitur ſecundum legem unguento Sacerdotes ungebantur, & Reges: clare jam indumentum regni & Sacerdotii Unigeniti Scriptura divina deſignat. *Odor*, inquit, *unguentorum tuorum ſuper omnia aromata*, ac ſi diceret: odor regni tui, & Sacerdotii ſuper omnes unctiones. Sicut & Daniel: *Suſcitavit*, inquit, *Deus regnum, quod tranſcendat omnia regna terræ*: propterea inquit: *Odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata*. Unguentum ſiquidem, fratres, quocumque loco fuerit illic & odorem dextra lævaque diffundit. Chriſtus igitur quæ in cælo & in terra, & in mari ſunt cuncta complectens regnum ſuum & dominationem ubique ſuavitatis odore complet.[1] Hujus regni odor ſuper omne regnum eſt, nam ſi Salomon, qui magnus rex ab Scriptura prædicatus eſt, cui omnes reges dona obtulerunt, neque ſicut unctus lilii gloria circumamictus eſt, ſecundum Chriſti reſponſum; quanto magis ceteri Reges

Daniel c. 2. v. 44.

Matth. cap. 6. v. 28. 29.

[1] S. Epiphanius unguento J. Ch. comparat in *Ancorato* §. 40. *Oper. tom. 2. pag. 45.* & inter cetera hæc habet, quæ cum his optime quadrant: *Nam unguentum de uno vaſe in aliud exinanitum vaſa omnia ſui fragrantia perfundit: ita Chriſtus e cælo delapſus terram omnem quadam ſanctitate conſecravit; hoc eſt eos, qui ſincere & ex animo ipſum ſuſciperent.*

Reges ſummo Regis cæleſtis honore diſcreti ſunt. Sicut enim major eſt domo is, qui fabricavit eam, ſic major eſt Chriſtus Regum omnium terrenorum. Iſte ſiquidem fecit eos, illi verò ab eo ſunt facti.

IIII. UNGUENTUM EFFUSUM NOMEN TUUM.

Jam hic clare, & nimis aperte divinorum & latentium Sacramentorum repleta Scriptura, etiam nomen magni regis oſtendit dicens: *unguentum effuſum nomen tuum*.

V. IDEO ADOLESCENTULÆ TRAXERUNT TE POST TE.

Dicens Scriptura divina *unguentum effuſum nomen tuum*, Chriſtum eum, ideſt, unctum denominat: unguentum enim effuſum ſignificat ad unctionem proficere, nam & Sacerdotale unguentum dicitur unctio, & antiqui Reges unguento uncti regnare conſtituebantur. Quando ergo dicit, *unguentum effuſum nomen tuum*, duos modos ſignificat; ſicut enim unguentum effuſum domum odorificat, ita Domino noſtro Jeſu Chriſto in terram deſcendente, & cæleſti virtute ſuper Apoſtolos veniente, totus mundus bono pietatis odore repletus eſt; ſicut unus eorum clamat dicens Sanctiſſimus Paulus Apoſtolus:
2. ad Cor. c. 2. *Chriſti bonus odor ſumus in his, qui ſalvantur, & in his, qui*
v. 15. 16. *diſpereunt: aliis quidem odor de morte ad mortem, aliis autem odor de vita ad vitam*. Ipſe denique ſuavitatis odor, aliis quidem eſt ad mortem, aliis verò ad vitam. Odor enim mortis erant Apoſtoli perſecutoribus ſuis, & tribulantibus eos, & allegantibus. Odor autem vitæ rurſus fidelibus, & his, qui prædicationem ſuſcipere merebantur, & fidem operibus juſtitiæ confirmabant.

Matth. cap. 26. *Unguentum effuſum nomen tibi*. In eo ipſo & illum pro-
Jo: cap. 12. v. 3. pheticum modum Mariæ ſignificat, quæ confringens alabaſtrum unguenti, unxit Dominum noſtrum Jeſum, qui dicebat:
Matth. cap. 6. *Amen, amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc*
v. 13. *Evangelium in toto mundo dicetur, & quod fecit hæc in memoriam ejus*. Hos ergo duos modos arbitror ſignificare hanc

Scri-

Scripturam divinam, quæ dicit: *Vnguentum effuſum nomen tuum*.

Ideo adoleſcentulæ dilexerunt te. Ac ſi diceret, quia regnum tuum, & incarnata præſentia, unguenti inſtar effuſi, ſuavitatis odore totum mundum implevit, ideo *adoleſcentulæ dilexerunt te*, quæ ſunt animæ fidelium; non enim ſolummodo putes, mulieres adoleſcentulas indicare ſanctam Scripturam, ſed inter mulieres quidem adoleſcentulas invenimus, non corpore, ſed potius fide: non enim eas ſolummodo, quæ corporis ſunt, quæruntur; caro enim nihil prodeſt: ſpiritus eſt qui vivificat. Inter adoleſcentulas ergo reſpice illam adoleſcentulam, corpore quidem debilem, anima verò fidelem, atque fortiſſimam, hoc eſt illam, quæ ſanguinis profluvio laborabat, quæ dum a tergo veſtem contigiſſet Chriſti, ſanguinis fluxum repente damnavit, non corporis fortitudine, ſed fidei magna virtute. Non enim, adoleſcenti corpore, ſed adulta prudentia fidei terminum poſuit paſſioni. Hæc adoleſcentula traxit eum poſt ſemetipſum, fimbriam veſtimenti ejus retro contin- *Matth. c.9.*
gens, quatenus in illa compleretur, quod ſcriptum eſt: *Ideo adoleſcentulæ dilexerunt te, traxerunt te poſt te*. Unde quidem & alia adoleſcentula poſt Jeſum clamabat, ideſt Chananæa, Syrophenciſſa genere [1], & adoleſcentula fide, quando diſcipuli dicebant, *dimitte eam, quia clamat poſt nos*. Et hæc *Matth. c.15.*
retro trahebat Jeſum, ad quam dixit: *Non eſt bonum tollere panem filiorum, & mittere canibus*; illa tamen adulta ſpiritu, & fide nimis adoleſcentula dicebat: *Vtique Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum*. Conſidera ergò adoleſcentiam fidei, humilitatiſque virtutem. Iſtæ itaque duæ adoleſcentulæ, ideſt, quæ in profluvio ſanguinis erat, & Chananæa Syrophenciſſa genere, quarum alia quidem erat immunda ſecundum Legem, ut dono Domini mundaretur, alia verò alienigena, ut ſalutem filiæ reportaret, ambæ traxerunt retro Jeſum, virtutis ejus famulæ conſiſten-

[1] Sic etiam nonnulli Ms. Codd. *Evangelii ſecundum* MARCUM *cap. 7. verſ. 26.* συροφοινιχίσσα τῷ γένει, ubi editi habent σιροφοίνισσα. Verum hæc mulier a S. MARCO nequaquam etiam *Chananæa* dicitur, ſed ἑλληνίς. *Chananæam* nuncupat *cap. 15. v. 22.* S. MATTHÆUS, qui tamen quod ſpectat ad patriam haud aliter ſe explicat, quam eam dicens egreſſam *a finibus illis*, nempe Tyri, & Sidonis, quas

ſiſtentes, quæ virtute fortiſſimæ, licet eſſent infirmæ corpore, meruerunt tamen de fonte ejus haurire medicinam; quoniam in earum robuſtiſſima fide vere dictum eſſe videbatur: *Cum infirmor, tunc fortis ſum*. Corporis enim infirmitas in talibus fidei virtutem valde demonſtrat.

2. ad Cor. c. 12. v. 10.

Ideo adoleſcentulæ dilexerunt te: Non ſolum quæ curatæ ſunt, fidei prudentia adultæ mulieres, ſed etiam aliæ adoleſcentulæ majores, & validiores earum, quæ prædictæ ſunt atque curatæ, ideſt animæ Sanctorum Martyrum, quæ nimis adulta prudentia, exutæ diabolo, ſua corpora durabili prudentia, & ſuſtentationis virtute tradiderunt; & inexpugnabili fortitudine, & invincibili fidei thorace veſtitæ palmam victoriæ perceperunt, adultam fidei virtutem ſervantes, & certaminis ſtudium velociter percurrentes, & proclamantes illud Apoſtoli verbum: *Curſum conſummavi, fidem ſervavi: de cetero repoſita mibi eſt corona juſtitiæ, quam reddet mibi Dominus in illa die juſtus Judex, non ſolum autem mibi, ſed etiam omnibus, qui diligunt adventum ejus*.

2. ad Timoth. cap. 4. v. 7. 8.

VI. IN ODOREM UNGUENTORUM TUORUM CURREMUS.

Una eſt Eccleſia, & pluraliter, ait, *curremus*. Quia licet multi eſſe videamur, unum tamen ſumus in Chriſto. Vide currentes omnes in odorem unguentorum Chriſti. Ubi enim reliquiæ jacent martyrum, ibi concurrere feſtinamus, quia ad odorem unguentorum Chriſti ire contendimus. Deinde jam gaudens multitudine fidelium Chriſtophora mater Eccleſia, circa ſponſum ſuum læta conſiſtens, in eo gloriatur, & dicit:

VII. IN-

quas urbes ſuperiori verſiculo memoraverat. Crediderim tamen idem ſonare *Chananæa* apud S. Matthæum, quam apud S. Marcum ἑλληνίς, nempe idololatra, etenim quicumque erant a Lege alieni a Judæis dicebantur *Græci*, ut videre eſt JOANN. *cap.* 7. v. 35. & alibi paſſim, nec non etiam *Chananæi*, Chanaan enim pro idololatriæ auctore habitus eſt.

VII. INTRODUXIT ME REX IN CUBICULUM SUUM: ET EXULTEMUS, ET JUCUNDEMUR IN TE.

Cubiculum Regis est, ubi omnes sunt thesauri reconditi. Cælestis enim Regis sine dubitatione cubiculum est, primum quidem corpus, quod ædificavit sibi, deinde etiam cælorum Regnum, quando dicit Salvator: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Recte ergo & consequenter prædicta est ista vox: ipsi enim intraverunt in regnum cælorum, quoniam ipsi persecutionem passi sunt propter justitiam; ideo & exultant in ea, & in jucunditate sua dicunt: *Exultemus, & jucundemur in te*, videntes æternam gratiam nuptiarum, quæ præparatæ sunt ab origine mundi, & quæ eis sunt compromissa recipientes. Deinceps adiciunt, atque dicunt: Matth. cap. 5. v. 10.

VIII. DILIGEMUS UBERA TUA SUPER VINUM.

Hoc est, diligemus duo Testamenta, per quæ nos Rex erudiens in cæleste cubiculum introduxit. Quia enim per duo Testamenta regnum cæleste meruimus, vide Vetus & Novum Testamentum quemadmodum adhortantur volentes pro justitia, & pro nomine Christi pati, & ad angustum atque contritum iter accedere. Ex Veteri quidem Testamento Sapientiam audi dicentem: *Usque ad mortem certare pro veritate*. Eccles. c. 4. v. 33.
Similiter autem & in Novo reperies; & in Evangeliis ipsum Dominum audi dicentem: *Non timeatis ab his, qui videntur corpus occidere, animam autem non possunt lædere*. Deinde rursus ex Veteri Testamento: *Audite Verbum Domini; qui timetis Verbum ejus; propterea dicite fratres nostri odio vos habentibus, & abominantibus*, & cetera: rursus audi in Novo Testamento in Evangeliis ex ore Dominico dictum: *Diligite inimicos vestros*; & iterum: *benefacite odio vos habentibus*. Iterum in Lege similiter audi dictum: *Si obviaveris jumentum inimici tui, quod corruit sub onus suum, non prætereas, sed alleva illud*. Quid est hic aliud, nisi illud: *Benefacite odio vos* haben- Matth. cap. 10. v. 28. Isaias 66. v. 5. Matth. cap. 5. v. 44. Exod. cap. 23. v. 5.

habentibus? Unus enim, & idem Legiſlator in utroque Teſtamento conſiſtit. Unde & duo Teſtamenta ex uno perenni fonte vocata ſunt, affluentiam ſpiritalis lactis habentia. Ideo dicunt, qui in cubiculum Regis ingreſſi ſunt: *Diligemus ubera tua ſuper vinum*; quid enim tale facit vinum, quod dum ſine menſura potatur, tenebras magis adfert. Splendida verò Teſtamenta mentem confortant, in fide fundant, & corroborant ad regna cæleſtia.

VIIII. ÆQUITAS DILEXIT TE.

Omnes equidem Scripturarum divinarum ſermones æqui ſunt, iſte vero de æquitate præcipuus. *Æquitas*, inquit, *dilexit te*, niſi enim quis æquus fuerit, Unigenitum diligere non valebit: *Abominatio eſt enim peccatori ſapientia*. Æquus autem eſt, qui malis omnibus privatur; condelectatur vero in Lege Dei, & mandata ejus ſtudet corde diligere. Sicut ait & David: *In conſilio æquorum, & congregatione magna opera Domini*.

Eccli. cap. 1. v. 26.

Pſ. 110. v. 1.

X. FUSCA SUM ET FORMOSA, FILIÆ HIERUSALEM.

Fuſca propter peccata: Formoſa propter pœnitentiam. Non eſt autem corporis fuſcatio: neque carnalis hujus ſponſæ iterum putetur pulchritudo. Sed fuſcam eam dicit propter iniquitates, quoniam in ipſis erat fuſcata per idololatriam, ceteraſque fallacias.

Fuſca ſum & formoſa filiæ Hierusalem; filias vocat animas Prophetarum, & confitetur quidem peccata, ſplendeſcit autem ſponſi clementia: quoniam ei datur pœnitentia peccatorum. Conſidera itaque vere hanc fuſcam, atque formoſam, dum inter ipſa principia ab eunucho Æthiope prædicationem ſuſcepit Unigeniti per Philippum Apoſtolum [1]. Unde & David, ait: *Æthiopia præveniat manus ejus*.

Act. Ap. cap. 8.

Pſ. 67. v. 32.

XI. UT

[1] Cum hoc loco nullatenus pugnat illud S. EPIPHANII h. 21. quæ eſt *Simonianorum* §. 1. *Oper. tom.* 1. *pag.* 55. ubi ſolummodo Diaconum fuiſſe traditur Philippum,

XI. UT TABERNACULA CEDAR, UT PELLES SALOMONIS.

Cedar interpretatur Regio Ostracinorum [1]. Ubique Cedarenenses in Scriptura divina de idololatria culpantur, sicut ait & Hie-

pum, qui multos in Samaria baptizavit, & quem facile probatur eumdem fuisse Philippum, qui baptizavit etiam Reginæ Candacis eunuchum. Sic Apostolum vocant hunc Philippum Auctor *Const. Apost. lib. 5. cap. 7.* & S. Jo: Chrysostomus *in cap. 13. Gen. hom. 35. Oper. tom. 4. pag. 351.* licet ille Diaconum deinde vocet *Const. l. 8. cap. ult.* & hic *hom. 18. in Acta Apostol. Oper. tom. 9. pag. 145.* Inter Latinos quoque S. Augustinus Apostolum nuncupat *in lib. de Doctr. Christ. in princ.* & tamen solummodo Diaconum fuisse sentiebat, ut constat *ex serm. 99. in Luc. cap. 7. §. 10. & 11. Oper. tom. 5. pag. 525. & 526.* nec non *ex serm. 266. al. 5. in vigiliis Pentecostes §. 4. Oper. tom. 5. pag. 1086.* in quo tandem §. 5. solum ex concessione, ne in aliam quæstionem ad propositum non necessariam descenderet, scribit: *Forte aliquis dicat de contentiosis, quia Philippus non erat Diaconus, qui baptizaverat in Samaria, sed Apostolus erat &c. Sed suspicentur quod volunt: cito solvo quæstionem. Apostolus fuerit, an Diaconus, quod lectio tacuit, sit hoc incertum. Illud tamen scriptum est, quia &c.* Porrò certum est Apostolicos viros sæpe Apostolos dictos reperiri apud veteres, ut multis exemplis videre est comprobatum apud Suicerum *in Thes.* v. Ἀπόστολος §. 11. *n. 3.* & ita locutos fuisse arbitror etiam Tertullianum de Baptismo *cap 18.* & Clementem Alex. *strom.* 3. qui pariter hunc Philippum dixerunt Apostolum, cum plane evidens sit fuisse Philippum Diaconum, ut pro certo habent S. Cyprianus *Epist. 7.* Eusebius *lib. 2.* S. Hieronymus *contra Luciferianos cap. 34.* Isidorus Pelusiota *lib. 1. Ep. 448. & 449. &c.*

[1] Cedar, seu Kedar, ubi vim nominis spectes, sonat *nigredo*: regionem autem Ostracinorum esse Cedar haud memini me legisse alibi. S. Hieronymus *de locis Hebr.* scribit: *Cedar est regio in eremo Saracenorum a filio Ismaelis Cedar ita cognominata.* In Isaiam vero 42. 2. *Cedar inhabitabilis fuit regio trans Arabiam Saracenorum:* & inferius 60. 7. *Cedar regio Saracenorum est.* S. Hilarius *in Ps. 119. Cedar*, inquit, *genus est Ismaelitarum, deserta incolens, cujus fines usque ad Medos & Persas proferuntur .... hi sunt nunc Saraceni nuncupati.* Verum Plinius *lib. 5. cap. 14.* docet in confinio Arabiæ fuisse oppidum Ostracine. *Ostracine Arabia finitur, a Pelusio* LXV. *millibus passuum.* Videtur itaque ab hac limitanea urbe, Arabiæ Petrææ populos, inter quos numerabantur Cedrei [sic enim eos Plinius vocat *lib. 5. cap. 11.* quos *Kedarenos* Bochartus *lib. 4. Phaleg. cap. 2.* & noster interpres *Cedarenenses*] Ostracenos fuisse dictus, qui postea Saraceni sunt vulgo vocati. Præterea hinc colligendum etiam esse videtur, Ostracinen, quam Ægyptiam urbem Geographi dicunt, habitam potius fuisse aliquando a nonnullis tamquam Arabicam, & quidem Plinius non Ægyptum ab ea incipere, sed finiri Arabiam scripsit. Demum hinc constat non unum Solinum *c. 34.* Ostracinen pro regione usurpasse, unde vapulat a Salmasio *in Exercit. Plinianis pag. 481.* in eadem enim sententia fuisse etiam S. Epiphanium modo comperimus: neque est insolens regiones circumpositas ab urbium nomine fuisse dictas. Meminit urbis Ostracines etiam Josephus, *l. 4. B. J. c. 115.* & Antonini Itinerarium: & bene conveniunt cum Plinio, quod pertinet ad distantiam



Ps. 120. v. 5. Jerem. c. 2. v. 10.

& Hieremias : *transite insulas Chettim*, & *Cedar mittite*, & *intelligite vehementer*, *si facta sunt talia*, *si mutant gentes Deos suos*. Quoniam igitur ex idolorum illorum vesania converti cœpit, confitetur & dicit : *sicut tabernacula Cedar*, & *pelles Salomonis* : hoc est : de semetipsa dicit, ut ostendat, quia & ex Judæis & ex Gentibus constet, eos enim, qui ex Gentibus venerunt tabernaculis Cedar assimilat : per pelles verò Salomonis similiter eos, qui ex Judæis crediderunt : & omnes per saccum Confessionis placantes Deum.

XII. NE VIDEATIS ME QUONIAM EGO SUM INFUSCATA, QUIA DESPEXIT ME SOL.

Ac si diceret : non me despexeritis propter fuscationem delictorum, quia despexit me Christus justitiæ sol, non enim erat sensibile, quod dicebat, sed de isto erat sole, quod loquebatur. Nam non diceret, *quia despexit me sol*. Non enim fuscantur, quos despicit sol iste, sed magis dum umbra pascuntur, candidiores fiunt. Illa verò in idolorum vesaniam ante fidem conversata, & a justitiæ sole despecta, fusca consistebat, donec *speciosus forma præ filiis hominum* veniens, suam speciem in ea formaret, sicut & David ex persona ejus gratias agit dicens : *Signatum est enim super nos lumen vultus tui Domine*, & alibi : *Erit claritas Domini Dei nostri super nos.*

Ps. 44. v. 3. Ps. 4. v. 7. Ps. 89. v. 17.

XIII. FI-

tiam a Pelusio, ut recte monet CELLARIUS *Geogr. Antiq. lib. 4. cap. 1. §. 12.* Meminere etiam AMMIANUS *lib. 22. cap. 16.* PTOLEMÆUS *lib. 4. cap. 5.* MARTIANUS CAPELLA *l. 6.* & HIEROCLES in *Synecdemo*, apud quem vocatur in *Vet. Ed.* Ὀστρακίνη sed ibi quoque legendum est Ὀστρακίνη, uti restituit ex Ms. Leidensi PETRUS Wesselingius. Demum memorat S. GREGORIUS NAZIANZ. *Ep. 12. tom. 1. pag. 776.*, neque enim ullo jure JACOBUS BILLIUS in scholio ad hunc locum dubitavit an Gregorius de hac Ostracina loqueretur, scribens, postquam PLINIUM, & AMMIANUM citaverit : *An autem ea sit, de qua Gregorius mentionem hoc loco facit, haud scio*. GREGORII verba hæc sunt : Ἄρτους μὲν οὐκ ᾐτήσαμεν παρά σου ὅπου μηδὲ ὕδωρ, παρὰ τῶν Ὀστρακίνην οἰκούντων : *Panes a te non postulavimus, ut nec aquam ab iis, qui Ostracinen incolunt*. Proverbialiter loquitur GREGORIUS, erat enim mansio inops aquæ Ostracine. De ea sic JOSEPHUS loco citato : Οὗτος σταθμὸς ἦν ἄνυδρος. *Hæc mansio inaquosa*. Fuit autem olim Ostracine Episcopalis sedes, cujus Episcop. Theoctistus *in Concil. Seleuc. an. 359.* subscripsit, & in Concilio, non Chalch. ut scribit HARDUINUS in notis ad PLINIUM, sed *Ephes. an. 431.* Episcopus nomine Abraham. Hinc conjicias vicum non fuisse Ostracinen sed urbem.

XIII. FILII MATRIS MEÆ DIMICAVERUNT IN ME.

Filios matris ſuæ, hoc eſt cæleſtis regni, dicit Sanctos Apoſtolos, ut clarius oſtendatur, bonam, magnamque dimicationem pace creviſſe, & zelo inſpirante divino, ideſt, quam beati Apoſtoli perfecerunt. Vide enim quid Paulus dicit: *Coram omnibus dixi Petro*[1], *ſi tu cum Judæus ſis, Gentiliter, & non Judaice vivis, quomodo gentes cogis judaizare?* Hac igitur vera[2] dimicatione dimicaverunt in ea, unde dicit: *Filii matris meæ dimicaverunt in me.* *Ad Galatas c.2. v.14.*

XIIII. POSUERUNT ME CUSTODEM IN VINEIS.

Vinea multis quidem modis in Scriptura divina refertur: ſed in brevi dicendum eſt illud, quod in Evangelio fertur de illis, qui non reddebant fructus his, qui miſſi fuerant: Ait enim: *Veniet Dominus vineæ, & malos male diſperdet, & vineam tradet aliis cultoribus, qui facient fructus ſuos in tempore ſuo.* *Matth. cap. 21. v. 41. 43.* Dominus autem confirmabat verbum ad eos, dicens: *Auferetur a vobis regnum Dei*: deinde dicit de iſta ſponſa, quam ſciebat in Canticis ſibi loqui: *Dabitur genti facienti fructus ſuos.* Hæc igitur ab Apoſtolis poſita eſt cuſtos in iſta vinea fidei multos uvarum fructus habenti. Deinde Judæorum Synagoga, quæ particulariter cucurrit ad Eccleſiam, confitetur, & dicit.

XV. VI-

(1) Utrum Cephas, quem hoc nomine ter nuncupat S. PAULUS in *Ep. ad Galatas cap.2. v. 9. 11. 14.* idem ſit ac Petrus, cujus meminit bis, nempe *v.7. & 8.* ejuſdem *cap.2.* non eſt una omnium ſententia. Porrò ex eorum opinione, qui adfirmabant, etiam in ipſum Apoſtoli Græcum textum *v.11. & 14.* Petri nomen irrepſiſſe videtur. Demum quod S. EPIPHANIUS; conſtat etiam ex *h.30.* quæ eſt *Ebionæorum* §.25. *Oper. tom.1 pag.149.* ubi ita ſcribit: *Sed & Paulus viciſſim de Petro teſtatur his verbis: & Jacobus, & Joannes, & Cephas, qui videbantur eſſe columnæ, dextras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis.*

(2) Teſtatur S. HIERONYMUS *in Prolog. in Ep. ad Galatas* Porphyrium ex hac hiſtoria voluiſſe B. Petro erroris maculam inurere, & B. Paulo procacitatis, Chriſtianæ autem Eccleſiæ mendacii, cum ipſi Principes Eccleſiæ inter ſe diſcreparent. ORIGENES (cum quo inter ceteros Græcos Patres conveniſſe Didymum, Apollinarium, Euſe-

XV. VINEAM MEAM NON CUSTODIVI.

Hoc eſt ea, quæ mihi in Lege præcepta ſunt, non ſervavi, ut per confeſſionis modum remiſſionem impetret peccatorum.

XVI. ANNUNTIA MIHI, QUEM DILEXIT ANIMA MEA, UBI PASCIS, UBI CUBAS IN MERIDIE.

Pſalm. 17.

Ad Epheſ. c. 5. v. 2.

Prius in David hoc dixit verbum: *Diligam te Domine virtus mea*: ante enim dilecta hæc a Domino iterum meruit eum diligere, ſicut Paulus dicit Apoſtolus non quia nos dileximus; *ſed quia ipſe dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis*. Dilecta igitur iterum diligit, & dicit: *annuntia mihi, quem dilexit anima mea, ubi paſcis, ubi cubas in meridie*. Hoc eſt: ſecundum horam paſſionis, quando ab hora ſexta, uſque ad nonam tenebræ factæ ſunt, ideo dixit: *ubi paſcis, ubi cubas in meridie*; poteſt enim & temptationum incendium nimis exurere.

XVII. NE FORTE EFFICIAR SICUT OPERTA SUPER GREGES SODALIUM TUORUM.

Hoc eſt, ne forte cum Judaicis hæreſibus efficiar adoperta; propterea reſpondit ei dicens.

XVIII. NISI

Euſebium Edeſſenum, Theodorum Heracleenſem, Jo: Chryſoſtomum, & Theodoretum teſtatur S. HIERONYMUS *Proleg. in Ep. ad Galatas*, & Latinos inter convenerunt CASSIANUS *collat.* 17. & ipſe S. HIERONYMUS antequam de ſententia moveretur a S. Auguſtino) ex condicto factam fuiſſe docuit eam Pauli adverſus Petrum reprehenſionem, & verbo tenus. Antiorigeniſta EPIPHANIUS haud ita ſenſiſſe videtur, ſed potius ut ſenſerunt S. CYPRIANUS, TERTULLIANUS, & præcipuè S. AUGUSTINUS, nimirum vero zelo ferventem inſurrexiſſe Paulum adverſus Petrum, ita tamen ut neutri res cederet in dedecus: *Eſt enim*, inquit S. Auguſtinus, *laus juſtæ libertatis in Paulo, & ſanctæ humilitatis in Petro*.

XVIII. NISI COGNOVERIS TE PULCHRAM INTER MULIERES:

Hoc eſt, niſi cognoveris, qualis fuiſti & qualis facta ſis. Bonam enim eam inter mulieres dicit: quoniam inter omnes hæreſes & Synagogas hæc ſola pulchra eſt, non ex ſemetipſa pulchritudinem habens, *ſed ex ſpecioſo forma præ filiis hominum*. Nam figurando in ea propriam pulchritudinem Unigenitus per lavacrum regenerationis, utiliter culpans eam, dicit: *niſi cognoveris te*. *Pſ. 44. v. 1.*

XVIIII. EGREDERE TU IN VESTIGIIS GREGUM ET PASCE HÆDOS TUOS.

Si enim non cognoveris ubi fuiſti prius, & ubi nunc es; ſi non cognoveris pulchritudinem, quam percepiſti a me; *egredere in veſtigiis gregum, & paſce hædos tuos*. Comminativus ſermo, & increpativum verbum, ubi enim puritas eſt, illic increpatio quoque ſubſequitur; quia enim prædixit, *ne forte efficiar ſicut operta ſuper greges ſodalium tuorum*, propterea velut comminative increpat ei dicens: *Niſi cognoveris pulchritudinem*, quam ex me poſſides, *egredere de gregibus tuis, & paſce hædos tuos*, hoc eſt, peccatorum animas. Niſi enim cognoveris juſtitiam per gratiam, quam tibi ego ipſe donavi, paſce hædos tuos.

XX. IN TABERNACULIS PASTORUM.

Hoc eſt, ſuper tabernacula Regum Iſraël, ſecundum verbum Apoſtoli clamantis: *Si enim illi non effugerunt reſpuentes eum, qui in terra prædicatus eſt, & cetera*. *Ad Hebr. c. 12. v. 25.*

XXI. EQUITATUI MEO IN CURRIBUS PHARAONIS ADSIMILAVI TE, PROXIMA MEA.

Equitatum ſuum dicit multitudinem juſtorum propter ve-

 loci-

locitatem eorum ad comprehendendam justitiam, in curribus enim Pharaonis illud significat, quoniam in Pharaonis intelligibilibus curribus erat aliquando hæc turba conjuncta, dum ab eo idololatriæ cursu flagellaretur. Ergo ait, talem te adhuc existentem equitatui meo adsimilavi non reputans peccata, quæ in idololatriæ fecisti vesania, sed continuo per lavacrum regenerationis nostro te equitatui comparavi, hoc est, gregi justorum velocem cursum habenti in studio pietatis, sicut & in Evangeliis Dominus his, qui unam horam laboraverunt solum, Matth. cap. 20. mercedem similem condonavit cum illis, qui totius diei onera portaverunt.

XXII. QUAM SPECIOSÆ FACTÆ SUNT GENÆ TUÆ, TAMQUAM TURTURIS.

Hoc animal castitati devotum est, quod licet ferum sit, tamen in una conjunctione perdurat. Sicut etiam hæc sancta Ecclesia, quæ olim quidem erat fera, solum tamen Christum sponsum habebat & virum, qui eam sic alloquebatur: sicut
2. ad Cor. c. 11. v. 2. & Apostolus dicit: *Desponsavi vos uni viro, virginem mundam Christo*.

XXIII. CERVIX TUA UT REDIMICULA.

Stupor est, quemadmodum consequentia dictorum spiritalis intellectus hanc cognitionem firmat. Dum enim comparasset turturi gentes propter ferocitatem, mox eos, qui ex Judæis collecti crediderunt, insinuavit. Postquam dixit: *Genæ tuæ sicut turturis*, mox intulit, *cervix tua sicut redimicula*, ut aperte monstraret eos, qui ex Judæis crediderunt, commemorando redimiculum, quod datum est Thamar ab Juda; palam
Gen. cap. 38. est enim quia ex Juda ortus est Dominus noster Jesus Christus,
Matth. cap. 1. secundum Apostolum. Deinde cum generationem ejus narrasset sponsus, simul ei & ornamenta condonat. Unde & Apostoli inferunt, atque dicunt.

XXIV. SI-

XXIV. SIMILITUDINES AURI FACIEMUS TIBI CUM STEGMATIBUS ARGENTI.

Similitudines igitur auri non aliud arbitror esse quam sanctos Martyres Dei, quoniam per ignem probati clariorem fidem suam demonstraverunt, ait enim Scriptura: *Sicut aurum conflatum probavit eos, & sicut holocaustomata sacrificii suscepit eos*. *Sapient. cap. 3. v. 6.* Ut autem per suam consequentiam panderetur, quia de Martyribus dictum est, vide quid sequitur: *Cum stigmatibus argenti*. Stigmata vero aperte sunt Martyres, qui flagella & tormenta pro Christo sunt passi. Sicut & Paulus testatur dicens: *Ego autem stigmata Jesu porto in corpore meo*. *Ad Galat. c. 6. v. 17.* Subsequitur autem sermo dicens.

XXV. QUO AD USQUE REX SIT IN RECUBITO SUO.

Ac si diceret: usque ad regenerationem per epulas nuptiarum usque tunc has auri similitudines congregari. Hoc est: eos, qui pro fide patiuntur, & non solum hoc, sed etiam qui pacis tempore per angustam, & contritam viam currunt, & Martyres actibus imitantur. Deinde sponsa respondit, & dicit.

XXVI. NARDUS MEA DEDIT ODOREM SUUM.

Cum enim sponsus diceret de Martyribus, respondit sponsa gratias ei agens, & dicit: *Nardus mea dedit odorem suum*; hoc est, tu mihi hæc bona fecisti, per nardum enim commemorat alabastrum unguenti, de quo & Dominus dicit: *Dimitte, & quid molesti estis mulieri? bonum enim opus operata est in me. Sumens enim hæc unguentum hoc in diem sepulturæ meæ fecit hoc*. *Matth. cap. 26. v. 10. & 12.* Sponsa igitur veluti gratias agens, dicit: tu mihi odorem suavitatis dedisti Martyrum. *Nardus*, enim, *dedit odorem suum*; hoc est, tuum martyrium, & tuus bonus odor invitavit Martyres pati pro te, quoniam primus passus es pro nobis. Per consequentiam itaque rei congruentia declaratur.

D 2 XXVII. FA-

XXVII. FASCICULUS GUTTÆ FRATRUELIS MEUS MIHI.

Per guttam itaque commemorat & ſanguinem, & aquam, quæ fluxerunt de latere Jeſu. *Faſciculus*, inquit, *guttæ fratruelis meus mihi*, aç ſi diceret ex aqua, vel ſanguine, quæ ſtillavit ex ejus latere, ipſe mihi factus ſponſus eſt, & ego ei ſponſa, ſanguine quidem ex ejus latere profluente, quo ei redempta & coëquata ſum, aqua vero carnis ejus, per quam ei baptizata ſum, atque clarificata. Spiritu vero, quod Divinitati ejus copulata ſum & conſummata dinoſcor [1].

XXVIII. IN MEDIO UBERUM MEORUM COMMORABITUR.

Hoc eſt in medio duorum Teſtamentorum teſtimonium Sacramentorum iſtorum commemorabitur, & ex Veteri quidem illud, quod in Eſaia refertur: *Sicut ovis ad occiſionem ductus eſt*. Ex Novo vero, quod per Philippum eunucho in Chriſtum interpretatur.

Iſaias cap. 53. v. 7.
Act. Ap. cap. 8. v. 32.

XXIX. BOTRUS CYPRI SIVE FLORIS FRATRUELIS MEUS MIHI.

Botrum cypri ipſum characterem humanum Unigeniti nominavit.

XXX. IN

(1) Eadem ſententia jam eſt ſupra ab auctore latius explicata: neque eſt omittendum haud abſimilia docere S. EPIPHANIUM etiam in *Panario* h. 78. quæ eſt *Antidicomarianitarum Oper. tom.* 1. *pag.* 1051. ubi poſtquam ad Eccleſiam accommodari docuerit *Geneſeos* verba *cap.* 2. *v.* 24. *Propter hoc relinquet homo &c.* ſecundum illud Apoſtoli *ad Epheſios cap.* 5. *v.* 32. *Sacramentum hoc &c.* adfert illa alia verba Geneſeos: *Sumpſit enim unam de coſtis illius, & ædificavit ipſi in mulierem*; indeque ſubdit fuiſſe hoc ita ſcriptum, *quo illud intelligeremus, Dominum ſibi ipſi corpus e Maria finxiſſe: Eccleſiam vero ex ipſo latere velut ædificatam fuiſſe, cum ejus latus eſt cuſpide ſauciatum; ab eodemque ſanguinis & aquæ ad lotionem noſtram profluxiſſe myſteria.*

XXX. IN VINEIS ENGADDI.

Gaddi præceptum interpretatur [1]. Sicut enim botrus, quando redolet florente vinea, tunc fit delectabilis intuentibus: sic & hi, qui in Christum credentes, initium fidei perceperunt, nondum maturum fructum habentes florenti botruo comparantur. Quia vero adepti sunt, qui ex gentibus crediderunt in Christum, testatur mihi Apostolus dicens: *electio adepta est*: hoc est: quia ex Gentibus & ex Judæis electi sunt, & quia sponsus in eis, qui baptizantur, figuratur, propterea laudans eum sponsa dicit: *Botrus cypri* (sive *floris*) *fratruelis meus mibi* (in Ecclesiis) *In vineis Engaddi*. Hoc est in his, qui adepti sunt maximum hujus fidei donum. Deinceps recompensans ei præconia, & mulcans eam spirituali pulchritudine dicit. *Ad Rom. c. 11. v. 7.*

XXXI. ECCE SPECIOSA PROXIMA MEA, ECCE SPECIOSA.

Per geminatam laudem duplicat ejus pulchritudinem, quando secundo dicit: *Ecce speciosa proxima mea, ecce speciosa*: ut ostendat eam speciosam non solum intrinsecus, sed etiam extrinsecus existentem; & intrinsecus quidem intelligentiis fidei a corde venientibus, extrinsecus autem oculorum honestate & compositione gressuum, & ceterorum justitiæ convenientium actionum, quia vero hæc ita sunt, vide quid sequitur.

XXXII.

(1) Locus hic, ut puto, aut interpretis, aut descriptoris incuria vitiatus est: neque enim video, qua ratione Gaddi interpretari quis possit *praeceptum*, aut quomodo ad propositum potuerit adduci hæc interpretatio. *In catena in Cantica Canticorum* sub Eusebii nomine edita a Maurasio in hunc versiculum Φ. αμπελῶσιν Ἐγγαδὶ· *in vineis Engaddi*: exstat hæc Anonymi cujusdam nota, ut videre est *t. 8. p. 150. Oper.* Mauasii, quorum collectionem adornat Florentiæ litteratissimus Jo: Lamius. Ἀμπελοφόρος ὁ κλῆρος τῦ Γαδ. ἑρμηνεύεται δὲ ἐπιτεύγμα. ἐπέτυχον δὲ τὰ ἔθνη. *Vitifera sors Engaddi. Interpretatur autem lucrum accedens. Adsequuta autem sunt Gentes*. Eamdem fuisse arbitror Epiphanii nostri sententiam & scripsisse: Γαδ ἑρμηνεύεται ἐπιτεύγμα: *Gad interpretatur adeptio*: id enim facile est sibi consuadere ex integro contextu sermonis. Si quis velit descriptorem Codicis scripsisse *praeceptum*, interpretem autem *perceptum*, non obsto.

XXXII. OCULI TUI COLUMBÆ.

Columbæ siquidem non simpliciter sensibiles oculos dicit, sed Spiritus Sancti, qui super Dominum in specie columbæ descendit: acumen enim visus intelligentiæ ejus spiritali columbæ mirifice comparavit: deinceps sponsa ad sponsum dicit.

Matth. cap. 3. v. 16.

XXXIII. ECCE BONUS FRATRUELIS MEUS, ET QUIDEM SPECIOSUS, CUBILE NOSTRUM UMBROSUM.

Et hæc iterum multipliciter sponsi pulchritudinem laudat, ac si diceret speciosus in Evangeliis, bonus in Prophetis, & quidem speciosus in Apostolis; *speciosi enim pedes evangelizantium bona*. Bonus in adjutorio temporalium bonorum, & quidem speciosus in bonorum promissione perennium. *Cubile*, inquit, *nostrum umbrosum*, quando enim in morte declinamus, præsenti jam seculo liberati, tunc nostra umbra magis enascitur ex intelligibili igne secundum Prophetam dicentem: *In scapulis suis obumbravit tibi, & sub pennis ejus sperabis*; præcipue tamen in David dicit: *Nam si ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*.

Ad Rom. cap. 10. v. 15. ex Isaia cap. 52. vers. 7.
Matth. c. 1. 15.
Psalm. 90. v. 4.
Psalm. 22. v. 4.

XXXIV. TIGNA DOMUUM NOSTRARUM CEDRI.

Consequentiam contemplare dictorum, postquam enim dixit: Ecce bonus in Prophetis, & quidem speciosus in Apostolis, ait: *Tigna domuum nostrarum cedri*; ac si diceret: quia & Prophetæ tigna sunt Ecclesiarum. Scriptum est enim: *Justus ut palma florebit, sicut cedrus, quæ in Libano est, multiplicabitur*.

Ps. 91. v. 13.

XXXV. TRABES NOSTRÆ CUPRESSI.

Per has sanctos monstrat Apostolos secundum Isaiam dicentem: *Pro constipatione orietur cupressus*. Quoniam igitur tigna

tigna [1] a trabibus interius componuntur, atque celantur, pulchritudo verò domus trabibus indicatur, propterea prius Prophetas tignis comparat. Deinde propter ſplendidum ornamentum Eccleſiæ per Apoſtolos ei collatum dixit: *Trabes noſtræ cupreſſi*, ut illud interpretaretur Apoſtoli: *Poſuit Dominus in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas*. Super ſplendent enim Apoſtoli Prophetis in Eccleſia, quoniam per eos ſponſa vocata eſt. Unde & conſequenter ait. *1. ad Corinth. c. 12. v. 28.*

XXXVI. EGO FLOS CAMPI, ET LILIUM CONVALLIUM.

Exultans ſponſa circa ſponſum ſuum in iiſdem adhuc moratur florem agri ſeme tipſam dicens. Dum enim prophetica dogmata meditatur, audit Eſaiam dicentem: *Lætare deſerta ſitiens. Exultet eremus, & lætetur lilium & floreat*. Deſerta enim tunc erat, nunc vero non ſolum redolet floribus, ſed etiam juſtitiæ fructibus ſuaviter multiplicata lætatur. Quando ergo dicit: *Ego flos campi*: prophetica verba proponit; quando vero ita dicit, *& lilium convallium*: verbis Evangelicis beneolentibus, & ſalutaribus ſponſi proprii delectatur, quibus dicebat ſuis diſcipulis: *Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt, non laborant, neque nent*; deinde eam ſponſus eloquitur. *In Vulg. hic incipit cap. 2.* *Iſaias c. 35. v. 1.* *Matth. cap. 6. v. 28.*

XXXVII. SICUT LILIUM IN MEDIO SPINARUM, ITA PROXIMA MEA IN MEDIO FILIARUM.

Oſtendens eam juſtam in medio impiorum in hoc mundo converſari, ad quam & Apoſtolus ait: *Ut efficiamini filii Dei immaculati in medio generationis pravæ, & perverſæ*; rurſus ſponſa ad eum dicit. *Ad Philipp. c. 2. v. 15.*

XXXVIII.

(1) *Tigna* dixit Interpres, quod melius dixiſſet *contignationes*, idest tignorum, & trabium texturam. Differunt tigna a trabibus, unde Lucretius *lib.* 2. *v.* 191.

Nec cum ſubſiliunt ignes ad tecta domorum.
Et celeri flamma deguſtant tigna trabeſque.

ſed tigna trabibus non componuntur, quin potius teſte Festo *trabs ſunt duo tigna ædificii gratia ſimul coaptata*.

XXXVIII. SICUT ARBOR MALI IN MEDIO SILVÆ, ITA FRATRUELIS MEUS IN MEDIO FILIARUM.

Matth. cap. 26. verſ. 26. &c. Marc. cap. 14. ad Corinth. 1. cap. 11. Arbor mali in fructu ſuo & cibum habet & potum; ut ergo myſticam panderet ubertatem, quam Eccleſiæ donavit ſponſus dicens: *Accipite, & manducate, hoc eſt enim corpus meum*. Et iterum: *Accipite, & bibite: hoc eſt enim Sanguis meus, qui pro vobis effuſus eſt;* propterea dixit: *Sicut arbor mali*. Habet autem arbor mali & tertium bonum, hoc eſt, odorem ſuavem per hoc etiam fidem ſignificavit. Arbor ergo mali eſt homo, Chriſti domus inter ligna ſilvæ, ſic in medio Judæorum exiſtens, *Iſ. cap. 1. v. 2.* ſicut de ipſis dicit Eſaias: *Filios genui & exaltavi, ipſi autem me repulerunt*.

XXXVIIII. IN UMBRA EJUS CONCUPIVI, ET SEDI.

Umbra ſiquidem Unigeniti lex eſt, quam deſiderabiliter ſervandam ſuſcepit Eccleſia. Nam in ejus præceptionibus dele- *Exod. cap. 20. Deut. c. 5. &c.* ctatur, quoniam peccata prohibet. Præcepit enim dicens: *Non adulterium facies: non furabis: non falſum teſtimonium dices: honora patrem tuum, & matrem tuam*, & cetera mandata. Hæc autem omnia faciens Eccleſia recte dixit: *In umbra ejus concu- *Ad Roman. 10. v. 1.* pivi, & ſedi*. Lex enim umbram habuit futurorum bonorum, ſecundum quod ait Apoſtolus: unde conſequenter edicit.

XL. ET FRUCTUS EJUS DULCIS IN FAUCIBUS MEIS.

Qui enim ſub umbra legalis arboris conſident, certum eſt quia & ſuaviſſimos Sanctorum fructus ex Evangeliis carpunt ſacroſanctis. Cum ergo dixiſſet de lege, & de ejus obſervationibus, quas concupivit, velut ad Apoſtolos loquitur dicens.

XLI. INTRODUCITE ME IN DOMUM VINEÆ.

Hoc eſt ad Corpus Domini, ac ſi diceret: coaptate me ei per lavacrum regenerationis,

XLII. OR-

XLII. ORDINATE IN ME CARITATEM.

. Ideſt: date mihi caritatem Unigeniti Filii, de qua ſcriptum eſt: *Ita dilexit Deus mundum, ut filium ſuum Unigenitum daret, ut omnis, qui credidit in eo, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* *Jo. cap. 3. v. 16.*

XLIII. CONSTIPULATE ME IN UNGUENTIS, STIPATE ME MALIS.

In unguentis dicit, in omnibus ſacris Dei ſermonibus. *Stipate me in malis*. Hoc eſt, ſepelite me in numero juſtorum.

XLIV. QUIA VULNERATA CARITATIS EGO.

· Ideſt per martyres, per quos, diligens Chriſtum, vulnerata ſum, mortem pro eo ſuſcipiens.

XLV. LÆVA EJUS SUB CAPITE MEO, ET DEXTERA EJUS COMPLECTETUR ME.

Lævæ præſens adſimilat ſæculum: dexteræ vero futuram piorum, perpetuamque vitam. Ait enim: *Longitudo dierum, & anni vitæ, & pacis in dextera ejus. In læva vero ejus divitiæ & gloria*. Hoc eſt & hic non deficientia bona præſtat Eccleſiæ ſapientia ſecundum Prophetam dicentem: *Dominus non fraudabit bonis ambulantes in innocentiâ*. Et in futuro ſæculo longitudinem vitæ, beata germina, & exultationes Sanctorum in dextera ſua ſapientia poſſidens præbebit. Unde ad ſponſam ſuam in Evangeliis dicit: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi*. Vere etenim ejus me dextera complectetur, dum me conſtituerit a dexteris ſuis bonus paſtor, qui in Paradiſi paſcuis commoratur.

Proverb. cap. 3. v. 16.
Pſ. 83. v. 13.
Matth. cap. 25. v. 34.

XLVI. ADJURAVI VOS FILIÆ HIERUSALEM IN VIRTUTIBUS ET VIRIBUS AGRI, ELEVAVERITIS ET EXCITAVERITIS CARITATEM QUO AD USQUE VELIT.

Filias Hierusalem animas sanctorum Prophetarum & Apostolorum dicit, & eas in virtutibus, & in viribus agri conjurat; hoc est in signis, quæ fecit in mundum Unigeniti virtus. Campus enim mundus est, sicut Dominus ait. Conjurat ergo animas eorum, ut exsuscitent in eam sponsi desiderium, aliquando quidem intercedentes pro ea, aliquando vero, quæ illi placeant, disponentes in ea; unde sapienter subsequitur dicens: *quoadusque velit*.

XLVII. VOX FRATRUELIS MEI.

Ac si diceret, quoad usque velit vox ejus, per quam præcepit, ut bonis operibus ejus caritate potiamur, sicut & in Joan: cap. 14. Evangelio dicit: *Qui diligit me, mandata mea custodit*.

XLVIII. ECCE HIC VENIT SALIENS SUPER MONTES, TRANSILIENS SUPER COLLES.

Saliens enim *super montes*, hoc est super Prophetas: & iterum inde: *Transiliens super colles*; hoc est super Apostolos. Ait enim: per generationes,& generationes sapientia in animas sanctas transiliens, amicos Dei & Prophetas efficit. Quia vero Prophetæ montibus comparantur, & Apostoli collibus, clare in Esaiæ prophetia positum est: ait enim: *Erit in novissimis diebus* Isaias c. v. 2. *manifestus mons Domini paratus super vertices montium*,quod est circa finem Prophetarum: *Et exaltabitur*, inquit, *super colles*, qui sunt Apostoli. Montibus enim recte comparantur Prophetæ: collibus autem Apostoli. Sicut enim sol oriens in montibus, deinde in collibus radiorum lumen emittit, sic etiam Christus justitiæ sol coruscans, & lumen in totum mundum emittens primum velut super montes & colles in Prophetas & Apostolos resplen-

resplenduit, per quos ex universo orbe terrarum ignorationis tenebras effugavit.

XLIX. SIMILIS EST FRATRUELIS MEUS. CAPREÆ, VEL HINNULO CERVORUM IN MONTIBUS BETHEL.

Caprea animal est habens visum nimis acutum: unde & feronime [1] vocatur caprea, sive hinnulus cervorum. Hic enim interemptivus est venenosarum bestiarum [2]. Montes enim Bethel sunt summi justorum ordines, quoniam *Bethel* Dei domus interpretatur. Domus autem Dei sine dubio justi sunt, propter eum, qui dixit: *Inhabitabo in eis & inambulabo*. Et rursus Apo- *2. ad Cor. c. 6.*
stolus: *Cujus domus*, inquit, *sumus nos*. *Fratruelis* itaque ejus *v. 16.*
& Dominus Christus sponsus adsimilatur quidem capreæ, eo *Ad Hebr. cap. 3.*
quod acute nimis inspiciat corda hominum. Unde dicebat: *v. 6.*
Quid cogitatis in cordibus vestris mala? Et iterum: *Ego sum Do-* *Matth. c. 9. v. 4.*
minus perscrutans renes, & probans corda. *Quid faciet homo in* *Jerem. cap. 17.*
occulto, & ego non videbo eum? Recte ergo adsimilatur & *v. 10.*
hinnulo cervorum; quoniam malignas cogitationes, quas in cordibus hominum Diabolus inicit, instar cervorum adgrediens, cæleste verbum, velut gladio acutissimo eas prorsus interimit.

L. ECCE HIC STETIT POST PARIETEM NOSTRUM INCUMBENS PER FENESTRAS.

Arbitror sponsam parietem dicere Legem, sicut ait Paulus Apostolus: *Destruens maceriæ medium parietem ad solvendas* *Ad Ephes. c. 2.*
inimicitias Legis mandatorum in dogmatibus. Prospiciens ergo *v. 14.*
de post Legis tergum venit per fenestras, qui sunt Prophetæ; prius enim in lege per Mosen prædicatus est: deinde per Prophetas, velut de fenestris inspexit: ita dicit.

 LI. EMI-

(1) Habent Græci adverbium Φερωνύμως, cui par non habent Latini, & idcirco Interpres Græcam ipsum vocabulum Latine ita inflexit: *feronime*. Significat autem Φερωνύμως *nomine rei vere respondente*.

(2) Hanc cervorum virtutem, quæ inferius quoque iterum iterumque ab auctore prædicatur, & cujus frequentissima est mentio apud Historiæ naturalis Scriptores, S. Epiphanius latius explicat *Physiologi cap. 1.*

LI. EMINENS PER RETIA.

Mirabilis hujus consequentiæ congruentia! *Post parietem* ait, *per fenestras incumbens*, quod est per prophetica dogmata. Per Esaiam quidem prophetizatus est, per Hieremiam vero prædicatus, per Daniel autem revelatus; per omnes hos ergo velut per fenestras incumbens, aliquando quidem semetipsum ostendebat, aliquando vero subtrahebat. Qui vero eminenter inspicit, totum semetipsum ostendit. Sic & Dominus per retia totum semetipsum prodidit, retia enim sunt Apostoli, nam per organa piscatoria vocationem Apostolorum hic prophetare dinoscitur, quibus ipse dixit: *Venite post me, & faciam vos piscatores hominum. Illi autem relictis retibus secuti sunt eum.* Cum enim dicit sponsa *eminens per retia*, utique per piscatoria organa eos, qui ex piscatoribus sunt vocati, significat, quod clare poterit per consequentia demonstrari.

Marc. cap. 1. v. 17. 18.

LII. RESPONDIT FRATRUELIS MEUS, ET DICIT MIHI: SURGE, VENI PROXIMA MEA, SPECIOSA MEA, COLUMBA MEA.

Dum enim per sanctos eam vocasset, erigit eam a peccatis, & dicit: *Surge, veni proxima mea, speciosa mea, columba mea*; suam enim pulchritudinem conformatis in eam per lavacrum regenerationis, speciosam eam appellat, & columbam nominat propter donum Sancti Spiritus; unde etiam hortatur eam habere simplicitatem.

LIII. QUONIAM ECCE HIEMPS TRANSIVIT.

Hiemps erat tempore passionis, quo procellam passi Judæi sævissimum incurrere naufragium, & perditionem crudelissimam pertulerunt. In eadem vero hieme, seu procella etiam idololatriam, quæ fuit utique procella valde difficilis, a sua sponsa removit. Ex utroque igitur dicit, hiemem, quod est indicium procellæ, transisse. Jam enim nec mortem pro nobis suscepit, cum semel passus sit, secundum quod Sanctus dicit Apo-

Apostolus. *Mors ei ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel. Quod autem vivit, Deo vivit.* Quia enim vere procella fuit passio: vide fluctuantem tunc Petrum propter timorem Judæorum. Sed etiam hæc transivit: post resurrectionem enim tranquillitas orta est, & inter Apostolos de fide divinitatis Unigeniti satisfactum. *Ad Rom. cap. 6. v. 9. & 10.*

LIV. PLUVIA ABIIT ET DISCESSIT SIBI.

Temptationes pluviis adsimilat Dominus, sicut quando dicit de illis, quæ fundata erant super petram, significans esse justos: *Venerunt*, inquit, *flumina, & percusserunt domum illam & non corruit. Fundata enim erat super petram.* Ut ergo diceret transierunt passiones, temptationes, ait: *Hiemps transivit, pluvia abiit, & discessit sibi.*

LV. FLORES VISI SUNT IN TERRA NOSTRA.

Ac si diceret, bonus odor Apostolicæ fidei jam nobis inspiravit.

LVI. TEMPUS SECTIONIS ADVENIT.

Ut quasi palmites incidantur, atque mundentur, idest, filii tui, qui in me crediderunt, a peccatis suis abstergantur. Sed etiam alio modo: *Tempus sectionis obvenit*, idest, quatenus instar intelligibilis messis gentes a terrenis concupiscentiis emundatæ ad cælestis Regis horrea deferantur.

LVII. VOX TURTURIS AUDITA EST IN TERRA NOSTRA.

Vocem hanc Sancti Pauli esse reor Apostoli. Turturi autem eum propter ferocitatem adsimilat, quam olim adversus Ecclesias exercebat, quando credentes in Domino custodiis, & persecutionibus affligebat, sed vox ejus postea facta est in terra nostra prædicatrix fidei, ut quod scriptum est impleretur in eo: *Passer invenit sibi domum, & Turtur nidum ubi po-* *Ps. 83. v. 4.*

nat

nat pullos suos: hoc est eos, qui per hunc Christo Domino crediderunt.

LVIII. FICUS PRODUXIT GROSSOS SUOS.

Judæorum Synagogam dicit, quæ produxit Sanctos Apostolos, qui grossorum similitudine, diversa Salvatoris verba pronuntiant, de quibus & Sanctus Hieremias propheta dicit: *Ficus optimæ nimis*. Præcursores autem ficorum grossi sunt. Apostoli denique ad instar grossorum primo prædicaverunt, deinde sapientes ac doctores Ecclesiæ sunt secuti, qui magnam salubritatem dulcedinis fidei, hoc est ipsam sponsam tradidere Judæis.

Jerem. cap. 24. v. 3.

LVIIII. VIRES FLORENTES DEDERUNT ODOREM.

De cetero consequenter Ecclesias vitibus similavit, quæ per doctrinam fidei odorem suavitatis inspirant revera tamquam vineæ in floribus constitutæ. Et sicut ex una vite multi palmites suscepti ad alias plantas proficiunt: sic Ecclesiæ ex spiritali vite, quæ Christus est, ubique vinearum similitudine probantur esse plantatæ.

LX. SURGE, VENI PROXIMA MEA, SPONSA MEA, COLUMBA MEA.

Proximam eam dicit, idest sponsam suam, eo quod e Cælo descendit, & ei per copulationem fidei proximus est effectus: speciosam autem propter pœnitentiam: columbam vero propter simplicitatem.

LXI. ET VENI TU COLUMBA MEA IN VELAMENTO PETRÆ.

Velamen autem ejus & petra sponsus est. Velamen quidem quoniam eam omnino custodit, & ab adversariorum semper procacitate defendit. Petra autem, quoniam in ipso fundamento fidei solidata est.

LXII. JU-

LXII. JUXTA PROMURALE.

Promurale hic Legem appellat: muri enim vocantur Evangelia ſecundum Eſaiæ prophetiam dicentis: *Ponet enim murum & propugnaculum.* Nam murus & propugnaculum duplex cuſtodia eſt, ne ad civitatis deprædationem hoſtium poſſint inſidiæ prævalere. Vere ſiquidem eam Lex cuſtodivit, dicendo: *Non occides. Non fornicaveris. Non concupiſces*, & reliqua his ſimilia. Quia ergo hæc ex Lege percepit, veluti deſiderans, ipſum præcipue Legiſlatorem concupiſcere reſpondit, & dicit.

Iſ. c. 26. v. 1.

Exod. 20. Deuteron. 5.

LXIII. OSTENDE MIHI FACIEM TUAM, ET AUDITAM MIHI FAC VOCEM TUAM.

[1] Hoc eſt per Legem & Prophetas non mihi loquaris, ſed temetipſum totum mihi demonſtra. Sicut & Moſes tali deſiderio comprehenſus fiducialiter dicebat ad Dominum: *Oſtende mihi teipſum, ut te videam.* Sed tunc equidem dixit ad Moſen: *Nullus videbit faciem meam & vivet.* Sponſæ autem ſuæ volens ſemetipſum oſtendere, inſtar nubis [2] ei ſe induto corpore demonſtravit, per virtutis modum, per ſuſtentationem, & innocentiam tradens ei pietatis aſpectum. Oſtendit igitur ei faciem ſuam conceptus in Dei genetrice [3] virgine, & audire eam fecit vocem

Exod. cap. 33. v. 13.

Exod. cap. 33. v. 20.

(1) Hadrianus I. *in libro ad Carolum Regem contra Nicana Synodi oppugnatores* in celeberrima Epiſtolarum Rom. Pontificum collectiona Romæ edita Anno 1591. *tom. 2. pag. 723. in Collect. Concil.* Harduini *ed. Pariſ. tom. 4. &c.* hanc ipſam ſub S. Epiphanii nomine urget ſententiam uſque ad verba: *Confide filia. fides tua te ſalvam fecit: vade in pace*: quod quidem etiam in Præfatione eſt adnotatum.

(2) In laudato Hadriani I. libro legitur, prout aſt in editis: *Incarnatus ei ſe induto corpore oſtendit*: uno autem: *inſtar nubis ei ſe induto corpore oſtendit*. Hanc variatatem editorum libri illius licentia potiuſquam ex Hadriani mente eſſe factam arbitror. Genuina lectio certe eſt *inſtar nubis*; ſonant enim idem *incarnatus* & *induto corpore*; in illo autem *inſtar nubis* adluditur ad ea ſacrarum Litterarum loca, ubi Deus de nube locutus dicitur, ne majeſtatis gloriæque ſuæ ſplendoribus videntes obrueret, & opprimeret.

(3) Divinam Mariæ Virginis Maternitatem luculanter adſerit S. Epiphanius non ſemel etiam in *Panario*; & licet in Epheſina Synodo duodecim tantummodo Patrum teſtimonia adlata ſint ad eam adſtruendam, demonſtrandamque, multa tamen alia adferri poterant, ut recte Synchronus auctor Vincentius Lirinenſis admonnit *in Commom.* §. 4. *Quamquam multo amplior majorum numerus adhiberi potuerit, ſed neceſſe non fuit, quia neque multitudine te*

vocem suam, cum doceret in Oliveti monte discipulos, & rursus dum per eos in universum orbem terrarum prædicationis dogmata destinasset.

LXIV. QUONIAM VOX TUA SUAVIS ET FACIES TUA SPECIOSA.

Matth. cap. 25. v. 34. Vox ejus vere suavis est, quæ dicit: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est*. Vox tua suavis:
Matth.c.9.v.29 hoc est, quæ cæcos videre fecit, cum diceret: *Secundum fidem vestram fiat vobis*. Vox tua suavis: id est dicendo: *Venite ad me*
Matth. cap. 11. v.28. *omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam*. Vox tua suavis est dicens paralitico: *Surge tolle lectum* [1] *tuum, & ambu-*
Matth. c.9.v.6. *la*. Vox tua suavis est dicens: *Confide filia remittuntur tibi peccata tua*. Vox tua suavis est dicens: *Confide filia, fides tua te sal-*
Matth.c.9. v.2. *vam fecit, vade in pace*. Vox tua suavis est, quæ Lazarum vo-
Matth.c.9.v.22 cavit a mortuis dicens: *Lazare, veni foras*. Vox tua suavis est
Marc. 5. v. 34. dicens discipulis: *Ite, docete omnes gentes baptizantes eos in no-*
Luc. 8. v. 48. *mine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos custodire*
Jo. c. 11. v. 43. *omnia quæcumque præcepi vobis, & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Vox tua suavis est
Matth. cap. 28. v.19. & 20. omnia in omnibus salvans, & facies tua speciosa, quia formam servi

testium negotii tempora occupari oportebat, & decem illos (in hoc memoriæ lapsum passus est Lirinensis) *non aliud vere sensisse, quam ceteros omnes collegas suos nemo dubitabat*. In illo igitur ampliori majorum numero EPIPHANIUS erat tum in Panario, tum in hoc *in Canticum Canticorum Commentario*, ubi quod ipsa usus fuerit voce Θεοτόκος nec foret insolens, eam enim vocem Ephesina Synodus celebrata A. S. CCCCXXX. haud invenit, sed adprobavit confirmavitque solemni decreto, atque, ut ita dicam, dedicavit, cum jam antea quoque ita communis esset, ut ejus usum Catholicis JULIANUS exprobraverit, ut videre est apud S. CYRILLUM *lib. 8. contra Julianum pag. 262.* Itaque apud omnes Patres familiarem fuisse idem S. CYRILLUS testatur *in Epist. ad Acacium Beroensem* nec non *in lib. de Fide ad Reginas pag. 47. Oper. tom. 5. par. 2.* ubi tres adferantur auctoritates, quæ hanc ipsam vocem exprimunt, S. ATHANASII nimirum, & ANTIOCHI, & AMMONII Episcopi Adrianopoleos, quibus adde ORIGENEM *Hom. 1. inter diversas in c. 1. Matth.* nec non *tom. 1. Comment. in Epist. ad Romanos* secundum SOCRATEM *Hist. Eccl. lib. 7. cap. 32.* præterea EUSEBIUM *lib. 3. de vita Constantini cap. 43.* S. BASILIUM *Hom. 25. de humana Christi generatione Oper. tom. 1. pag. 590.* GREGORIUM Nyssenum *in Ep. ad Eustathium & Ambrosium Oper. tom. 3. p. 660.* GREGORIUM Nazianzenum *Orat. 51. & 52.* & Alexandrinos Episcopos ALEXANDRUM & DIONYSIUM, alteram *in Ep. ad Alexandrum Constantinopolitanum* apud THEODORETUM *Hist. Eccl. lib. 1. cap. 4.* alteram *in Ep. adversus Paulum Samosatenum*.

[1] In laud. lib. HADRIANI I. *grabatum*.

ſervi ſuſcepiſti, ut nos ad libertatem a ſervili peccato reduceres, & quia in monte transformatus es, ut Divinitatem propriam demonſtrares.

LXV. CAPITE NOBIS VULPES PUSILLAS EXTERMINANTES VINEAS.

Ac ſi diceret: capite nobis hæreticos, qui inſtar vulpium noctibus latenter vineas puſillas exterminant: hoc eſt, eos, qui nondum pinguedine fidei pleni, velut aquoſi acerbique conſiſtunt, nec vineæ perfectione grandes effecti ſunt: ſed adhuc fide parvuli, & minime roborati videntur. Hæretici enim iſtos exterminant, facientes eos a fidei perfectione declinare. Propterea capi eos præcepit, & a vineis valde ſecari.

LXVI. ET VINEÆ NOSTRÆ FLOREBUNT.

Hoc eſt: populi noſtri ſuavitate fidei redolebunt.

LXVII. FRATRUELIS MEUS MIHI, ET EGO EI.

Id eſt: iſte mihi ſapientia, & ego illi cor, ille mihi de cælis, & ego illi de gentibus.

LXVIII. QUI PASCITUR INTER LILIA DONEC ASPIRET DIES.

Hoc eſt: inter verba juſtitiæ. Qui autem dies aſpiret palam eſt. Quia de Judicii die dicit, in quo bonus Paſtor dicturus eſt. *Venite Benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Matth. cap. 25. v. 34.

LXVIIII. ET AMOVEANTUR UMBRÆ.

Quando enim Judicii dies aſpiraverit, tunc amovebuntur umbræ ſæculi præſentis, hoc eſt, diverſæ cauſæ, ſollicitudines, & injuſta negotia.

LXX. REVERTERE, SIMILIS ESTO TU FRATRUELIS MEUS DAMMULÆ, AUT HINNULO CERVORUM.

Ac si diceret: revertere ab Judæorum Synagoga, & veni ad Gentes, quoniam illi prædicationem fidei non suscipiunt. Revertere dammulæ similis, aut hinnulo cervorum veloci fidei cursu in omnes fines totius terrarum orbis excurrens pedibus speciosis Apostolorum, de quibus Scriptura dicit: *Quam speciosi* *Ad Rom. c. 10. v. 15.* *pedes evangelizantium bona*.

LXXI. SUPER MONTES CONVALLIUM.

Montes convallium Justorum sunt animæ: montes quidem eo quod universa justitiæ virtute transcendant: convalles autem, quoniam ad instar convallium, fidei prædicationem suscipiunt, & in suo pectore complectuntur. Convallis autem bona est, & in altitudine justitiæ constituta, in qua Unigenitus requiescit immissus.

LXXII. IN CUBILI MEO IN NOCTIBUS QUÆSIVI, QUEM DILEXIT ANIMA MEA. QUÆSIVI EUM, ET NON INVENI EUM, ET NON AUDIVIT ME.

IN VULG. HIC INCIPIT CAP. 3. Quando peccatis ingravati dormimus, & in noctibus, hoc est, in tenebrosis libidinum sceleribus, conversamur, & quasi Christianos esse confidimus, tunc in noctibus quærimus, quem quasi diligere nos putamus. Ille enim non ita requiri vult, sed *Is. c. 55. v. 6. 7.* sicut Esaias dixit: *Quærite Dominum, & cum inveneritis eum invocate: cum autem adproximaverit vobis, deserat impius vias suas & vir iniquus consilia sua, & convertatur ad Dominum, & misericordiam consequatur*. Si igitur ita quæramus eum, tunc audiet nos. Si verò in cubili positi peccatorum, & in noctibus tenebrosis consistimus, quærentes non inveniemus, & invocantes non audiemur. Unde dicit: *Numquid non potest liberare?* Sed peccata nostra discernunt inter nos, & illum: propterea *in cubili*, inquit, *meo in noctibus quæsivi, quem*

quem dilexit anima mea, quæsivi eum, & non inveni eum, vocavi eum, & non audivit me.

LXXIII. SURGAM ITAQUE, ET CIRCUIBO CIVITATEM IN FORO ET IN PLATEIS, ET QUÆRAM QUEM DILEXIT ANIMA MEA: QUÆSIVI EUM ET NON INVENI EUM.

Neque nunc eum invenisse se dicit, licet surrexerit, & circuierit universa. Cur autem eum iterum non invenerit causam adnuntiat. Dicens enim: *Surgam & circuibo civitatem in foro & in plateis*: ostendit, quia si quis eum quærit in foro, ubi sunt mundi negotia, aut in plateis, non invenit, quoniam platea, idest, Latine *lata*, illa via est, quæ ducit ad perditionem, angusta vero atque contrita, quæ ducit ad vitam. Πλατεῖα. *Matth. c. 7. 13*

LXXIIII. INVENERUNT ME, QUI SERVANT, QUI CIRCUEUNT IN CIVITATEM. NUMQUID QUEM DILEXIT ANIMA MEA VIDISTIS?

Servantes, & circueuntes in civitatem justos dicit in Ecclesia constitutos: & sicut in civitate mandata servantes, qui sunt Prophetæ, vel Apostoli. Hos ergò percontatur, & dicit: *Numquid quem dilexit anima mea vidistis?* Deinde subsequitur.

LXXV. QUAM MODICUM FUIT CUM TRANSIVI AB IPSIS, DONEC INVENIREM, QUEM DILEXIT ANIMA MEA.

Quando itaque a peccatis nostris transierimus, tunc invenimus, quem diligit anima nostra, secundum quod scriptum est: *Convertere ad Dominum, relinque peccata, & nimis odio babe abominationem*: & iterum: *Cum ad proximaverit vobis, relinquat impius vias suas*. Propterea dixit: *Modicum fuit cum transivi ab ipsis, donec invenirem, quem dilexit anima mea.* *Eccli. cap. 17. v. 21. 23. Isaias cap. 55. v. 6. 7.*

LXXVI. TENUI EUM, ET NON DIMISI ILLUM.

Tenet eum omnis anima Justorum, cum facit utique, quæ illi sunt placita. Cum enim delectatur Dominus sicut sponsa in animabus Justorum, tenetur virtutis operibus. Non manibus contrectatur, sed detentus castitate, & eleemosyna delectatur: Unde ait: *Tenui eum, & non dimisi illum.*

LXXVII. DONEC INDUXI ILLUM IN DOMUM MATRIS MEÆ, IN CUBICULUM EJUS, QUÆ ME CONCEPIT.

Domum matris reor eam dicere, ideft sapientiæ cælestis; cor nostrum enim domum divini Verbi, hoc est, sapientiæ cælestis: *& cubiculum ejus, quæ concepit eam*, quisquis cor dixerit, non delinquit. Domum itaque propter quod dictum est: *Inhabitabo in vobis, & inambulabo in vobis.* Cubiculum autem eo quod in eo nobis bona sint cuncta reposita, Fides, Caritas, Spes, pia Cogitatio, Castitas, Virtus, Continentia, Patientia, & his similia, quæ auro, & argento, & lapidibus pretiosis ornamenta pretiosiora consistunt. Sed animæ virtutibus decoratæ hæc esse ornamenta noscuntur.

2. ad Corinth. c. 6. v. 16.

LXXVIII. ADJURAVI VOS FILIÆ HIERUSALEM IN VIRTUTIBUS, ET IN VIRIBUS AGRI, SI LEVAVERITIS ET EXSVSCITAVERITIS CARITATEM QUOUSQUE VELIT.

Hic, sicut testimonio declaratur, ad patientiam & cooperationem orationum filias Hierusalem cælestis invitat, quæ sunt animæ Justorum, quatenus levent & exsuscitent Unigeniti caritatem. Quod autem ait: *Quoadusque velit*: tale est ac si diceret: meum est perdurare, & sustinere, & longanimiter agere, & in patientia mea consistere, quoad usque ipse velit. Deinde videns eam sponsus dicit:

LXXX.

LXXVIIII. QVÆNAM EST ISTA, QVÆ ASCENDIT A DESERTO SICUT SIMILITUDO FUMI THYMIAMATIS MURRHAM ET THUS, AB OMNIBUS PULVERIBUS UNGUENTARII.

A deſerto enim vidit eam aſcendere, hoc eſt, ab idololatria, & ideo ait: *Quaſi ſimilitudo fumi thymiamatis*: murrham vero, & thus odorem eſſe arbitror paſſionis: murrham quidem propter ſepulturam, thus autem propter Divinitatis ſummæ potentiam. *Ab omnibus* verò *pulveribus unguentarii*: ac ſi diceret: ab omnibus lectionibus Legalibus, atque Propheticis. Similem autem eam dicit fumo thymiamatis, ſicut & Hieremias prophetando dicebat, homines multos in Chriſto reſpiciens: *Benedictus homo, qui confidit in Domino, & erit Dominus ſpes ejus, & erit ſicut lignum fructiferum ſecus aquam, & ſuper pinguedinem mittit radices ſuas, & erit eis ſimilitudo ſilveſtris*. Propterea ſicut ſimilitudo fumi thymiamatis appellatur Eccleſia. *Jerem. cap. 17. v. 7. 8.*

LXXX. ECCE LECTUS SALOMONIS.

Adſimilatur lectus Salomonis Eccleſiæ, antequam enim acciperet eam intelligibilis Salomon dicebat: *Filius hominis non habet ubi reclinet caput ſuum*; quando verò accepit eam, facta eſt jam lectus Salomonis, hoc eſt ejus, qui pacificavit cæleſtia ſimul atque terreſtria. *Matth. cap. 8. v. 20.*

LXXXI. SEXAGINTA POTENTES IN CIRCUITU EJUS DE POTENTIBVS ISRAEL: OMNES TENENTES FRAMEAM, EDOCTI BELLUM, VIR GLADIVS EJUS IN FEMORE IPSIUS PRÆ PAVORE IN NOCTIBUS.

Sexaginta potentes circa eam, arbitror dicere de potentibus Iſrael eos, qui ab origine mundi Deum ſpeculati ſunt expoſitiones audiendo virtutum, & in hunc ſolummodo contemplantes: Iſrael enim eſt videns Deum. Lectus igitur bene nimis appella-

pellatur Ecclesia; circumdant enim eam isti potentes, docentes eam suam unusquisque virtutem. Primus Abel jam non adipem agnorum sensibilium, sed pinguedinem rationabilium ejus ovium Deo erudivit offerri: Enoch translationem ei a terra portat ad cælum: Noe typum baptismatis: Abraham non parcendo filio propter affectum, quem habebat ad Deum: Isaac alligatus & perdurans quando tanquam immaculatus offerebatur: Jacob dum peregrinaretur simul, & duodecim Patriarchæ: deinde Moses, & Aaron, qui prævaluerunt in Pharaonem, & populum ex Ægypto reduxerunt: Jhesu-Nave, qui terram hereditatis accepit: Samuhel sacerdotali functus officio & virtutes efficiens: Job vincens diabolum, faciensque virtutem: Helias mortuum suscitans, cælum retinens, famem introducens, sacrificium offerens, falsos Prophetas arguens, pluviam petens & accipiens, & multas alias virtutes efficiens: Heliseus similiter: Isaias regalem partum enarrans, faciensque virtutem. Hieremias ovem sine malitia prophetizans esse Jesum: Ezechiel currus Evangelistas exponens, faciensque virtutem: Danihel antiquum hominem manifestans, & filium hominis declarans, faciensque virtutem: Annanias, Azarias, Misahel hymnum in camino ignis Deo dicentes, & magnam facientes virtutem, cum haberent Dei filium in suis passionibus adjutorem: similiter enim & duodecim Prophetæ facientes & ipsi virtutes: Johannes Baptista, factorque virtutum: duodecim Apostoli mundum portantes, & ubique miracula facientes: Lucas, & Marcus cum aliis duobus discipulis evangelizantes, operantesque virtutes: ad ultimum sexagesimus maximus Paulus venit Apostolus. Isti sunt itaque sexaginta potentes circa lectum Salomonis, quod esse probatur Ecclesia. Beatus igitur David spiritaliter sanctam hanc coronam inspiciens recte cla-
Ps. 124. v. 2. mabat: *Montes in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi sui.* Non enim sufficit in hoc circulo sponsa, quæ est & lectus intelligibilis Salomonis, sed etiam ipsum habet Dominum circumdantem populum, unde & Esaias sic ait: *Ecce civitas munita*
Is. c. 26. v. 1. *& salutare nostrum ponet murum, & promurale borum Deus.* Omnes autem istos dicit *tenentes frameam*, quoniam omnes Dei verbum habere noscuntur. Vivens enim est Dei verbum, & efficax, & acutum, super omnem gladium bis acutum. *Docti*,

cti, inquit, *bellum*: non adversus homines, sed adversus malignos spiritus secundum Prophetam dicentem: *Qui mansuetus est, sit pugnator. Vir*, inquit, *gladius ejus in femore ipsius*. Hic viros dicit pios, atque pudicos, abscindentes carnales passiones, & terræ desideria respuentes. *Præ pavore*, inquit, *in noctibus*: pavescens enim piorum mens, ne his, in quibus non vult, incurrat; secundum Apostolum dicentem: *Quod nolo hoc facio. In noctibus*: carnales sensus abscidit, quatenus Ecclesiæ filii castitatis thorace muniti inexpugnabilem inveniant in Deo fiduciam. Tangit & aliam hic sermo figuram, dicens enim: *Quænam est hæc ascendens a deserto, sicut similitudo fumi thymiamatis*: Ecclesiam significat ascendentem a desolata Hierusalem; nam si illi non misissent manus in Salvatorem, ista in ejus fide locuples non fuisset, sicut ait Apostolus: *Si autem peccatum eorum divitiæ mundi, & abjectio eorum divitiæ gentium*, major est hæc quæ ex mortuis est, quam illius desolatio, ex cujus perfidia huic est facta lætitia. Quoniam vero deserta facta sit illa, testis est mihi Dominus dicens: *Hierusalem Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui missi sunt ad te, quoties volui colligere filios tuos, quemadmodum gallina pullos suos, & non voluistis. Propterea dico vobis, relinquetur domus vestra deserta*. Ex hoc ergo deserta esse declaratur Ecclesia, ideo dicit: *Quæ nam est hæc ascendens a deserto sicut similitudo fumi thymiamatis, murrha & tbus a pulveribus unguentarii. Murrham* autem illam dicit, quæ in nativitate ejus a Magis oblata est.

Ad Roman. 7. v. 16. 19. 20.

Ad Rom. 11. v. 12.

Matth. cap. 23. v. 37.

Ecce lectus, inquit, *Salomonis*: lectum intellige & sepulchrum Jesu, qui intelligibilis Salomon est, de quo Angeli dicunt: *Ecce locus, ubi jacuit Dominus*. Potentes autem, qui sunt in circuitu ejus, de potentibus Israel illos intellige, qui a Judæis missi sunt custodire monumentum. *Omnes*, inquit, *tenentes frameam, edocti bellum*: armati siquidem erant ad bellandum, & eruditi ab illis, qui eis dixerant: *Dicite, quia nocte nobis dormientibus discipuli ejus rapuerunt eum. Vir*, inquit, *gladius ejus in femore ipsius præ pavore in noctibus*. Revera utique perierunt, qui tunc monumentum servabant. Cum *vespere Sabbati, quæ lucescit in una Sabbati, terræmotus factus est magnus, & Angelus Domini revolvit lapidem*, & in ea nocte illi pavefacti fuerant, & facti sunt sicut mortui; ideo ergo mihi videtur dicere: *præ pavore in noctibus*.

Marc. 16. v. 6.

Matth. cap. 28. v. 13.

Matth. cap. 28.

LXXXII.

LXXXII. GESTATORIUM SIBI FECIT REX SALOMON DE LIGNIS LIBANI.

Gestatorium intellige ipsam Domini carnem, in qua celando se, ut homo nobis eloquebatur. Sicut enim Consules ordinarii in quodam gestatorio procedunt, & per eos mundi negotia roborantur, dum habitu dignitatis Senatoriæ vestiuntur; sic in Unigeniti carne ascita ei Ecclesia dignitate ejus induitur, non causas mundi continens, sed cælestes promissiones in semetipsa conscribens. Gestatorium autem non solum est caro Jesu, sed etiam ipsa indubitanter Ecclesia, quæ est corpus ejus secundum Apostolum dicentem: *Glorificate igitur Deum in membris vestris*. Hoc ergo gestatorium, quod est caro Domini, fecit sibi Rex Salomon spiritalis. *Sapientia* enim *ædificavit sibi domum*. Unde autem est hoc gestatorium? *De lignis Libani*: ac si diceret: ex generationibus Sanctorum virorum Abraham, Isaac, Jacob, David, & ceterorum.

1. ad Cor. c. 6. v. 20.

LXXXIII. COLUMNAS EJUS FECIT ARGENTUM.

Columnas autem non aliud intelligas, quam Sanctos Apostolos, qui instar columnarum gestatorium istud portant. Quia vero columnæ Apostoli sint, adstipulatus est hujus rei Paulus Apostolus clamans, ac dicens: *Jacobus & Johannes*, [1] *qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt*. Argentum vero eos dicit propter fidei claritatem.

Ad Galatas c. 2. v. 9.

LXXXIIII. ET RECLINATORIUM EJUS AUREUM.

Aureo reclinatorio Martyres adsimilavit. Sed ne putes chorum Apostolorum minorem esse Martyribus; nam & ipsi Apostoli martyrium pertulerunt, & facti sunt Christo reclinatorium aureum, nam ante quam isti martyrium sustinerent, Unigenitus dicebat: *Filius hominis non habet ubi caput reclinet*. Adsimilantur ergo & auro propter fidei probitatem & temptationum

Matth. cap. 8. v. 20. Luc. c. 9. v. 58.

[1] Deficit hic nomen *Petrus*, vel *Cephas* descriptoris incuria. v. sup. *pag.* 21. n. 1.

tionum ignem. *Sicut aurum*, inquit, *in fornace probavit eos, & ficut holocauftum facrificii fufcepit eos.* Sapient. cap. 3. v. 6.

LXXXV. ASCENSUS EJUS PURPURA.

Purpuræ afcenfus innumera eft hominum multitudo, quam purpuræ recte nimis adfimilat propter Sancti lavacri tincturam; ficut enim purpura veftis eft regia; fic & lavacrum Sancti Regis veftimento regali nos induit. Si autem purpura regia tantam habet in palatiis diligentiam, ut fine pollutione fervetur, licet corruptibilem, & ex marinis animalibus videatur habere tincturam: quanto magis hoc indumentum fpiritale debet a percipientibus diligentiffime cuftodiri? Dico enim lavacrum regenerationis, quod non de marinis animalibus, fed de cæleftibus thalamis, & ex ipfo Sacrofancto Chrifti fanguine probatur habere tincturam.

LXXXVI. INTRA IPSUM LAPIDIBUS STRATA CARITAS.

Et hic quoque refert fcriptura mirabilem characterem totius chori Sanctorum, & eorum pulchritudinem valde declarat. Quia enim de multitudine dixit Ecclefiæ, quæ conftat in fuis electis, iftos intra Unigenitum effe demonftrat dicens: *Intra ipfum lapidibus ftrata caritas*. Lapidibus enim fanctis juftos adfimilat fecundum Prophetam dicentem: *Lapides fancti volvuntur fuper terram*, juftos oftendens terra recubantes, & genua flectentes, qui per caritatem cunctam legem adimplent, quique intra ipfum funt, & infeparabiliter in ejus mandato femper & caritate confiftunt. Zachar. cap. 9. v. 16.

LXXXVII. A FILIABUS HIERUSALEM.

Hoc eft: ab animabus Sanctorum omnium, quæ filiæ funt non terrenæ, fed cæleftis Hierufalem.

LXXXVIII. EXITE, ET VIDETE, FILIÆ SION, IN REGE SALOMONE, IN CORONA, QUA CORONAVIT EUM MATER EJUS IN DIE DESPONSATIONIS EJUS, ET IN DIE LÆTITIÆ CORDIS EJUS.

Exite, inquit, hoc eſt, a maledictione Legis, ab inobedientia Judæorum, & ab ipſa Hieruſalem. *Exite*, inquit, *& videte in Rege Salomone*, ideſt in Domino noſtro Jeſu Chriſto, foris portas enim paſſus eſt. Unde Apoſtolus ait: *Exeamus igitur ad*
Ad Hebr. c. 13. v. 13. *eum foris tabernaculum*. *In corona*, inquit, *qua coronavit eum mater ejus*; quando enim crucifixerunt eum, coronam de ſpinis ſuper caput ejus poſuerunt; mater autem carnis ejus eſt ſynagoga, quæ ſecundum carnem ex Judæis eſt. Videte quando eum coronavit mater ejus. *In diebus*, inquit, *deſponſationis ejus*, hoc eſt, in diebus paſſionis. Tunc enim ſanctam hanc deſponſabat Eccleſiam, quando in cruce pendebat. Sicut Oſeas Propheta dicit; *& deſponſabo te mihi in fide, & cognoſces Do-*
Oſea c. 2. v. 20. *minum*. Quod autem ait: *Et in die lætitiæ cordis ejus*, in illa
Luc. c. 22. v. 15. die Paſchæ dicit, in qua Jeſus dum lætaretur cum diſcipulis ſuis, ait: *Deſiderio deſideravi hoc paſcha comedere vobiſcum*: bonum utique deſiderium! celebrata eſt tunc magnaque lætitia.

LXXXVIIII. ECCE ES FORMONSA PROXIMA MEA, ECCE ES FORMONSA, OCULI TUI COLUMBÆ PRÆTER TACITURNITATEM TUAM.

In Vulg. hic incipit cap. 4. Laudat ejus ſpeciem proprius ſponſus, non ſemel dicendo: *Ecce formonſa es*: ſed etiam ſecundo. *Formonſam* enim non ſolum pinguedine, ſed etiam actibus juſtitiæ eam eſſe ſignificat. *Oculi*, inquit, *tui columbæ*: ſimplicitatem & innocentiam laudat intellectualium oculorum. *Præter taciturnitatem*, inquit, *tuam*: aliam definit ejus pulchritudinem, hoc eſt, taciturnitatis, frequenter enim multi piorum ore tacentes, corde obediente orationem apud Deum probantur effundere. Sicut
Exod. cap. 14. v. 15. beatus Moſes audivit a Deo: *quid clamas ad me*; & ſicut Ana

na

na beata inter mulieres, quæ dum tacite peteret auxilium a Domino, beatum Samuelem, fructum orationis, accepit.

LXXXX. CAPILLATURA TUA SICUT GREGES CAPRARUM, QUÆ ASCENDERUNT DE GALAATH.

Capillaturæ adsimilat multitudinem populi secundum Apostolum dicentem: *Si nutriat comam mulier gloria est ei*; sic & Sancta Ecclesia multitudinem populi comam habet. Coma autem pro velamine datur sponsæ; ergo velamen est populus Deo devotus secundum Prophetam dicentem: *Omnibus eis indueris & constitues eos sicut ornamentum Sponsæ*. Quod autem ait: *Qui ascenderunt a Galaath*: *Galaath* interpretatur *habitatio testimonii*. Isti utique ascenderunt de habitatione testimonii, hoc est Prophetarum & Apostolorum testimonium de Unigeniti prædicatione reddentium. Propterea ergo psallit David dicens: *Et testimonia tua meditatio mea est, & consolatio mea justificationes tuæ sunt. Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar*.

1. Reg. c. 1. — *1. ad Corinth. cap. 11. v. 15.* — *Is. c. 49. v. 18.* — *Ps. 118. v. 24.* — *Ps. 118. v. 46.*

XCI. DENTES TUI SICUT GREX DETONSARUM, QUÆ ASCENDERUNT DE LAVACRO, UNIVERSÆ GEMELLOS HABENTES, ET INFECUNDA NON EST INTER ILLAS.

Iste versus confirmavit ea, quæ prædicta sunt, dicens: *Dentes tui sicut greges detonsarum*, hoc est, exuentium se vetere homine cum actibus suis atque concupiscentiis. Quod autem ait: ascendisse eas *de lavacro*. Palam est quia baptizatas asserit animas, quæ detonsæ sunt terrenis actibus, clarificatæ vero per fidem. *Omnes*, inquit, *gemellos habentes, & infecunda non est in eis*. Descenderunt [1] enim solæ in aquam, & ascende-

runt

(1) Respicit hoc loco auctor ad Baptismata per immersionem, ad quod suscipiendum descendebant Cathecumeni in aquas aut fluminum, aut fontium, aut in conchis ad hoc paratis exceptas; de quo ritu consule Ciampinium *Vet. mon. par.* 1. *c.* 2. quem potissimum laudo, nam eum ritum non solum describit, sed etiam ex antiquis monumentis expressum in tabulis ponit ob oculos.

runt cum Sancto Spiritu. Horum autem filii sunt, qui per eos iterum imbuuntur ad salutem fidei venientes [1].

XCII. SICUT RESTIS COCCINEA LABIA TUA.

Resti coccineæ adsimilat labia sanguinem Christi confitentium, & eorum, qui baptizantur in eo, per quem & salus est humano generi contributa. Quia enim Rahab meretrix signum
Josue c. 3. de fenestra ligavit velut restem coccineam, per quam salus est omni domui ejus effecta; sic & nos oportet, ut velut in fenestra oris coccineam hanc restem, idest, confessionem Patris & Filii & Sancti Spiritus habeamus; ut autem clare possit ostendi, quoniam hæc ita sunt, vide consequentiam, & crede, quæ dicta sunt.

XCIII. ET LOQUELA TUA SPECIOSA: SICUT CORTEX MALAGRANATI GENÆ TUÆ.

Loquela, inquit, *tua speciosa*: cum dicit per Petrum: *Tu es Christus filius Dei*. Ideo autem ait: *Sicut cortex malagranati*
Joan. c. 6. v. 70. *genæ tuæ*, eo quod similis sit coloris.

XCIV. PRÆTER TACITURNITATEM TUAM.

Non enim oportet tacere, sed semper salutaris spei gratia confiteri.

XCV. SICUT TURRIS DAVID CERVIX TUA, QUÆ ÆDIFICATA EST IN THALPHIOTH.

LXX. Θαλπιώθ.

Cervicem ejus definit ipsum humanum Christi characterem. Ex David enim Dominus secundum carnem natus est. Adsimilatur enim turri, quoniam refugientes ad se instar turris

(1) Quod esset Fidei dispositio, ad percipiendum Baptisma docet S. EPIPHANIUS etiam in *Ancorato* §. 119. *tom.* 2. *pag.* 122. *Catholici viri pergite sanctam hanc Ecclesiæ conservare fidem, quam Sacrosancta ac singularis Dei Virgo ab Apostolis Domini sibi creditam accepit: idemque Catechumenis omnibus, qui ad Baptismum se comparant, inculcate diligenter.*

ris ab omnibus protegit inimicis, & a diabolica jaculatione defendit. Quod autem ait: *quæ ædificata est in thalphioth* celsitudinem ædificii dicit. *Thalphioth* enim interpretatur: in altitudine [1]: & revera in altitudine ædificata cognoscitur, hoc est, in Dei verbo. Vis nosse celsitudinem ædificii? Considera non solum ædificium, quod in Virgine factum est, sed etiam illud, quod ultra Cælos ascendit, & in dextera Patris sedit, & sic agnoscis in quali ædificata sublimitate sit.

XCVI. MILLE SCUTA SUPER ILLUM.

Hoc est, omnes Sancti, quorum generatio ab eo describitur, aut ex quibus ipsius generatio sancta colligitur. Mille vero cum audis, noli numerum considerare, sed numeri perfectionem magis attende.

XCVII. OMNIA JACULA POTENTIUM.

Jacula reor actus, & justitias definisse, per quæ malignus quasi jaculis confossus obruitur.

XCVIII. DUO UBERA TUA, SICUT DUO HINNULI GEMINI CAPREÆ.

Duo ubera, duo dicens Testamenta, & duos hinnulos definit. Caprea vero animal est visum acutissimum habens, sicut hi, qui spiritalem meditationem duorum Testamentorum obtinent, acutum intuitum in divinis contemplationibus habent. Gemini autem dicuntur, quoniam gemine oportet purissimum intel-

(1) Hebræum vocabulum hoc est, quod in sua Versione Græca retinuere LXX. interpretes aut quod ejus vim non satis adsequerentur, aut potius quod loci alicujus in Palæstina nomen crediderint: prout quidem inter recentiores dubitasse videtur RELANDUS *de Locis Palæstinæ tom.* 2. *pag.* 1030. Vulgatæ auctor Latine reddidit: *cum propugnaculis*: quam versionem optime inter ceteros illustrat HAMMONDUS. Fuit autem aliter quoque tum a Græcis, tum a Latinis hoc nomen Græce & Latine interpretatum, sed modo nihil nostra refert, nobis enim animadvertere sat est, quod spectat ad Auctoris nostri interpretationem, certe Hebræum nomen *thel*, aut *thal* significare *altitudinem*.

intellectum narrationis inspicere. Non solum enim ad literam attendi [1], sed etiam spiritu oportet illuminari.

XCIX. QUI PASCUNTUR INTER LILIA DONEC RESPIRET DIES ET AMOVEANTUR UMBRÆ.

Pascuntur enim hujuscemodi cordis intellectualis oculi velut inter lilia in divinis eloquiis *donec respiret*, inquit, *dies & amoveantur umbræ*, hoc est, hujus vitæ.

C. IBO MIHI AD MONTEM MURRHÆ, ET AD COLLEM LIBANI.

Mons murrhæ corpus Christi manifeste dicitur, secundum
Daniel. cap. 2. v. 33. Prophetam clamantem: *Abscissus est lapis sine manibus & percussit imaginem. Et factus est mons grandis.* Murrhæ autem dicitur mons, quoniam in murrha & aloe sepeliit eum Joseph. Quod
Joan. cap. 19. v. 34. autem ait: *Ibo mihi ad montem murrhæ*, spontaneam dicit ejus obedientiam, ac si diceret, sponte consepeliar Christo. Recte etiam collis Libani dictus est, quoniam post resurrectionem instar Libani intelligibilia & vitalia ligna sanctos verbi potentia germinavit.

CI. TOTA SPECIOSA ES PROXIMA MEA, ET MACULA NON EST IN TE.

Hoc est, per lavacrum regenerationis non habens maculam de peccatis.

CII. VENI A LIBANO SPONSA, VENI A LIBANO.

Secundo eam vocat a Libano. Quoniam Libanus candor interpretatur. Propterea hoc secundò dicit, significans non solum illos, qui ex Judæis, sed etiam qui ex Gentibus instar Libani per lavacrum regenerationis candidi sunt effecti, & instar plantarum Libani in eo plantandi sunt.

CIII.

(1) Vide supra pag. 9.

CIII. VENIES, ET TRANSIBIS AB INITIO FIDEI, A CAPITE SANIR ET HERMON.

Præſentiam ſponſæ ſignificat dicens: *Venies, & pertranſibis*. Hoc eſt, venies quidem a Gentibus, tranſibis autem per Legem. *A capite* verò *Sanir*, *& Hermon* initium fidei fieri dicit. *Sanir* enim interpretatur rubus; Hermon ſpiritus, ſive lumen. Apex ergo, ſeu initium fidei, eſt ab eo, qui locutus eſt in ſublimitate luminis populis Iſrael, quando egrediebatur ex Ægypto. Genus autem ejus non ab uno populo, neque ab uno loco, ſed ex diverſis regionibus colligere comprobatur, unde ſubſequenter dicit.

CIV. A CUBILIBUS LEONUM, A MONTIBUS LEOPARDORUM.

Ac ſi diceret a palatiis regum, & a varietate peccatorum egreſſos. Deinceps poſt generationis ejus collectionem hæc dicit.

CV. VULNERASTI COR NOSTRUM IN UNO OCULORUM TUORUM, IN UNO ORNAMENTO COLLI TUI.

In amorem ejus venit ſponſus, unum oculorum ejus inſpiciens. Si eſſet carnale, quod dicitur, non diceret: *in uno oculorum tuorum*. Sed quoniam duos habemus oculos in carne, in corde verò unum habemus, hoc eſt, mentem, propterea lumen animæ principale reſpiciens, & piam cogitationem intuens, oculum eam appellat dicens: *Vulneraſti nos, ſoror mea ſponſa, in uno oculorum tuorum*, quoniam intelligibilia contemplatur. Et ſubſequitur: *in uno ornamento colli tui*: ſignificans ornamenti ſimilitudine collo ejus impoſitam caſtitatem.

CVI.

(1) Scilicet ferarum rex eſt Leo: unde ab illo *Phyſiologum* etiam ſuum exorditur S. EPIPHANIUS, & ait: *De Leone ferarum atque animalium rege dicere incipiamus &c.*

CVI. SPECIOSA FACTA SUNT UBERA TUA, SOROR MEA SPONSA. QUAM SPECIOSA FACTA SUNT UBERA TUA A VINO, ET ODOR VESTIMENTORUM TUORUM SUPER OMNIA AROMATA.

Speciosa enim facta sunt testimonia tua spiritali vino, hoc est, sanguine Christi: Et *odore*, inquit, *vestimentorum tuorum super omnia aromata*, ac si diceret, odorem suavitatis Evangelicorum mandatorum, quæ transcendunt Legis universa præcepta.

CVII. FAVUM DESTILLANT LABIA TUA, SOROR MEA SPONSA.

Labia verò ejus sunt Doctores, qui instar favi suaves illi effundunt sua doctrina sermones, sicut dictum est: *Favum mellis sermones boni*. *Proverb. cap. 16. v. 24.*

CVIII. MEL ET LAC SUB LINGUA TUA.

Mel pœnitentiæ dulcis est prædicatio. Lac verò imbutio Legis existit.

CIX. ET ODOR VESTIMENTORUM TUORUM TAMQUAM ODOR LIBANI.

Hoc est, actio mandatorum tuorum: odor suavitatis est Christus.

CX. HORTUS CLAUSUS SOROR MEA SPONSA.

Clausus quidem diabolo, apertus verò cælesti sponso.

CXI. HORTUS CLAUSUS: FONS SIGNATUS.

Signatus Christi signaculo: hoc est regenerationis lavacro.

CXII.

CXII. EMISSIONES TUÆ PARADISUS MALAGRANATORUM.

Animæ Apoſtolicæ tamquam paradiſum epularum habentes lavacri fontem.

CXIII. CUM FRUCTU POMORUM, CYPRI CUM NARDIS, NARDUM ET CROCUM, CALAMUS, ET CINNAMOMUM CUM OMNIBUS LIGNIS LIBANI.

Hoc dictum eſt, ut per aromata ſenſibilia ſpiritalem ſanctorum præceptorum intelligamus odorem. Fructus pomorum germina ſunt ſancta juſtitiæ. *Cypri*, inquit, *cum nardis*, hoc eſt, verba redolentia pietate cum nardo fidei. Nardus enim & crocus fides eſt cum abrenuntiatione mundana, nam rennuentes ſæculum comparat croco, qui corpora ſua abſtinenti converſatione mortificant, & croceo [1] colori conſimilant. *Calamus*, inquit, *& cinnamomum cum omnibus lignis Libani*. Hic in iſtis præcipuis aromatibus, Petrum, Paulumque [2] demonſtrat cum omni-

H

(1) Haud abſimiliter vetus Auctor in Dialogo, cui titulus *Philopatris*, §. 23. Chriſtianos dicit homines, ἀλλ' ἄνδρας ἐπικεκυφότας, ἢ παντῃ κινουμένους *vultibus in terram pronis pallidiſque*.

(2) Petrum & Paulum ſolummodo nominat tamquam *Sanctorum Coriphæos*, ut verbis utar S. Jo: CHRYSOSTOMI *in homil. contra ludos & theatra* §. 1. *Oper. tom. 6. pag.* 273. Scilicet nam ſicut ille potentia, hic ſcientia ceteros omnes Apoſtolos antecivit. Porrò S. EPIPHANIUS in Panario h. 27. quæ eſt *Carpocratianorum* §. 6. videtur utrique Apoſtolo adtribuiſſe etiam Romanum Epiſcopatum. *Romæ*, inquit, *primi omnium Petrus & Paulus Apoſtoli pariter atque Epiſcopi fuerunt*: quæ quidem ſententia cum illa convenit S. IRENÆI, qui *lib. 3. cap. 3.* ait *a glorioſiſſimis Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatam & conſtitutam Eccleſiam fuiſſe*. Eſt autem adnotandum bicipitem igitur eſſe Eccleſiam, auſos hinc eſſe dicere nonnullos Heterodoxos homines, & hos inter recentem auctorem JOANNUM RUDOLPHUM KIESLINGIUM *in Præfatione ſuarum Exercitationum adverſus Diſſertationes de cultu ſanctorum* CL. VIRI Jo: CHRYSOSTOMI THOMUELLII §. 13. ubi contra me ipſum diſputat. Non eſt hujus loci hanc diſputationem agere, nec opus eſt, cum egerint alii luculenter, ita ut mirandum plane foret, KIESLINGIUM eruditiſſimum certe virum, tam immane commentum recantare potuiſſe, niſi prodidiſſet multis etiam aliis in rebus, abreptam ſe habere mentem plurimis omnino ridiculis adverſus Roman. Eccleſiam præjudiciis. Verum quam male ex ea Sanctor. Patrum loquendi ratione contra ſingularem Petri primatum argumen-

omnibus fidelibus: ut omnes, qui Christo in baptismate consepulti sunt, unius esse odoris ostendat. Unde etiam significat consequentia sepulturam.

CXIIII. MURRHA ET ALOE CUM OMNIBUS PRIMIS UNGUENTIS.

Ac si diceret: corpus Christi, quod sepultum est in murrha & aloe ab optimo consiliatore Joseph. *Cum omnibus*, inquit, *primis unguentis*, hoc est, cum justis omnibus, qui primo se-
Jo. c. 19. v. 39. pulti sunt.

CXV. FONS HORTORUM, PUTEUS AQUÆ VIVÆ, ET IMPETU DESCENDENTIS A LIBANO.

Ipse fons hortorum spiritalis panis, & spiritalis vini, &
Jerem. c. 2. v. 13. puteus aquæ vivæ idem ipse est, sicut in Hieremia Propheta increpans Judæos ait: *Dereliquistis me fontem aquæ vivæ*. Deinde adjecit: *& impetu descendentis a Libano*. Vere siquidem instar impetus aquæ descendit a generatione Judæorum, qui intelligibilia ligna fuut Libani. *Libanus* enim candor interpretatur; isti namque circa eum amicitiæ jure candidi fuisse noscuntur.

CXVI.

mentari contenderint KIESLINGIUS aliique ex uno S. EPIPHANIO nostro constare potest. Nominat ille hoc loci Petrum & Paulum tamquam ceterorum omnium justorum principes justos, & in Panario scribit Romæ pariter Episcopos fuisse; & tamen quid tum? Arbitrabatur ne parem fuisse in Ecclesia utriusque dignitatem, potestatemque? Nihil profecto minus. *In Ancorato* summam Pauli laudem putat, quod *Petrus Apostolorum Princeps, qui Regni claves accipere dignus est habitus, ipsi dexteram dederit*: & §. 9. *Oper. tom. 2. pag.* 14. Petrum *inter Apostolos primum* fuisse profitetur, & super eum fuisse fundatam Ecclesiam, neque fore, ut ei hæreses, & Hæresiarchæ prævaleant: *huic* (nempe Petro) *germanum suum Filium Pater indicat, & beatus idcirco dicitur .... sic enim ei, qui inter Apostolos primus esset, consentaneum erat; solida, inquam, illi petra, super quam Ecclesia Dei est fundata, & portæ Inferi non prævalebunt illi*: Eamdem sententiam repetit etiam in *Panario* h. 59. quæ est *Catharorum* §. 7. *pag.* 50. *Princeps Apostolorum Petrus .... solida petra instar nobis extitit, cui, velut fundamento, Domini fides innititur: supra quam Ecclesia modis omnibus extructa est*.

CXVI. EXURGE AQUILO, ET VENI AUSTER, INSPIRA HORTUM MEUM, ET PROFLUANT AROMATA MEA.

Expellit eum, qui eſt ab Aquilone ſecundum Prophetam *Joel. c. 2. v. 20.* dicentem : *Et Aquilonem expellam a vobis*. Advocat autem Auſtrum, qui eſt aura ſpiritus Dei: ſicut ait Hambacum [1]: *Deus a Libano veniet*. *Hab. c. 3. v. 3.* *Inſpira*, inquit, *hortum meum* : hortum hic Eccleſiam debemus accipere. *Et profluant aromata mea* : hoc eſt, unguenta juſtitiæ. Deinde Eccleſia invitans deſcendere Verbum talia dicendo ſubſequitur.

CXVII. DESCENDAT FRATRUELIS MEUS IN HORTUM SUUM, ET MANDUCET FRUCTUM POMORUM SUORUM.

Quem autem dicat fructum ipſe ſignificavit ſponſus quando dixit: *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me.* IN VULG. HIC INCIPIT CAP. 5. *Jo. c. 4. v. 34.* Quando enim ſervi iſtius voluntatem faciunt illius, qui miſit eum, ipſe ſatiatur, & poma carpit de virtute juſtorum.

CXVIII. INTRAVI IN HORTUM MEUM, SOROR MEA SPONSA. VINDEMIAVI MURRHAM MEAM CUM AROMATIBUS MEIS.

Sepulturam ſignificat cum Prophetiis, quæ in eo prophetizatæ ſunt.

CXVIIII. MANDUCAVI PANEM MEUM CUM MELLE MEO.

Ac ſi diceret, comedi paſcha ſuaviter.

CXX. BIBI VINUM MEUM CUM LACTE MEO.

Hoc quod ait, innocentiæ calicem eſſe cognoſce.

 CXXI.

(1) HAMBACUM 'Αμβακὺμ nominatur Propheta vulgo dictus HABACUC etiam in antiquiſſimo *Cod. Vat. verſ.* LXX. Quod vero pertinet ad lectionem ipſius ſtu-

CXXI. MANDUCATE PROXIMI MEI, ET BIBITE, ET INEBRIAMINI, FRATRES MEI.

1. ad Corinth. c.11. v.24. &c.

Hic sacramentum paschalis cibi significat, quando dicebat: *Accipite & manducate*, & iterum: *Accipite & bibite*. Aperte verò per ea, quæ sequentur, ea, quæ prædicta sunt, comprobantur: ait enim.

CXXII. EGO DORMIO.

Hoc est: mortem, quam pro nobis sustinuit in cruce significans.

CXXIII. ET COR MEUM VIGILAT.

Idest, infernum divinitate devastat.

CXXIIII. VOX FRATRUELIS MEI PULSAT AD JANUAM.

Aperta valde consequentia: post resurrectionem enim januis clausis venit: unde subsequitur.

CXXV. APERI MIHI SOROR MEA, PROXIMA MEA.

Hic Thomam vocat, & incredulam ejus animam, & dicit: *Aperi mihi*; quatenus aperiret cor proprium, & satisfactionem resurrectionis exciperet.

CXXVI. COLUMBA MEA, PERFECTA MEA.

Jo. c. 20. v.28.

Columbam eam vocat propter simplicitatem: perfectam verò propter fidei confessionem: quando enim Thomas credidit, tunc ait: *Dominus meus, & Deus meus*.

CXXVII.

sententiæ HABACUC, seu HAMBACUM, legitur sic etiam apud S. AMBROSIUM *in lib. de Noe & Arca cap.15. Oper. tom.1. col. 249.* & apud S. GREGORIUM Magnum *Moralium lib.33.c.1. Oper. t. 3. col.1075.* & in *expositione in Cantica Cantic.* dummodo S. Gregorii opus illa sit, *in proemio cap. 5. Oper. tom. 4. col. 390.*

CXXVII. CAPUT MEUM PLENUM EST RORE, ET CRINES MEI GUTTIS NOCTIS.

Et nunc resurrectionem nocte factam esse significavit, quando ros descendere consuevit.

CXXVIII. EXUI ME TUNICA MEA, QUOMODO INDUAR EA?

Hoc est, exuit se Adam, suasus a serpente, mandato. Mandatum enim est tunica. Denique, postquam comederunt, confundebantur in invicem se videntes, cum primitus verecundiam non haberent, mandati quippe tunica tegebantur: cum mandato enim corpus pariter amiserunt. Mors enim post comestionem eis illata est. Quoniam igitur de resurrectione erat sermo, perempta mortis causa, resurgens Dominus, & sponsam velut a mortuis resuscitans dicit: *Aperi mibi, soror mea, proxima mea*: illa autem, quod venerat, ingemiscens dicit: *Exui me tunica mea, quomodo induar ea?* Hoc est, de corpore significat anima. *evenerat.*

CXXVIIII. LAVI PEDES MEOS, QUOMODO INQUINABO EOS?

Ac si diceret: qui moritur justificatur a peccato. Metuo namque iterum vel resurgere, ne forte in his contingat me rursus incedere, & pedes meos iterum inquinare. Est autem adhuc & ad Thomam iste sermo; nam licet propter utilitatem multiplicetur expositio, tamen consequentiæ congruentia in Thomam esse cognoscitur.

CXXX. FRATRUELIS MEUS MISIT MANUM SUAM PER FORAMEN, ET VENTER MEUS TURBATUS EST AD ILLUM.

Cum diceret Jesus Thomæ: *Veni mitte manum tuam in* Jo. c. 20. v. 27.
latus

latus meum, *& digitos tuos in figuram clavorum*. Quando autem hoc fecit eique satisfactum est, tunc dicit Thomas: *Venter meus turbatus est*, quasi propter resurrectionis insigne miraculum. Consequentia vero ea, quæ sunt prædicta, confirmant.

XXXI. SURREXI EGO APERIRE FRATRUELI MEO : MANUS MEÆ STILLAVERUNT MURRHAM: DIGITI MEI MURRHA PLENI.

Et isti sermones Thomæ sunt. Manibus siquidem latus Christi Jesu contingens, recte dicit: *Manus murrha plenas*, *& digitos*. Non tamen aliam murrham dicit, quam illam, quæ est consepulta Jesu. Mirabiliter autem & in hoc ostendit, quia illud corpus, quod sepultum est [t], illud denuo resurrexit: propterea murrham sepulturæ inspiravit, quam fudit Joseph ab Arimatia Jesu, unde dicit:

CXXXII. IN MANIBUS CLUSURÆ: APERUI EGO FRATRUELI MEO.

Dum sponsæ siquidem per incredulitatem Thomæ fuisset resurrectionis fide satisfactum, dicit: *In manibus clusuræ: aperui ego fratrueli meo*. Hoc est, per Thomam, qui prius incredulitate clauserat, cum ei denuo fide satisfactum fuisset; vere siquidem illius utilis incredulitas perfectam præbuit satisfactionem resurrectionis sponsæ: ostendit enim nobis, per figuram clavorum & murrham, integram, & indubitatam resurrectionem a mortuis.

CXXXIII. FRATRUELIS MEUS TRANSIVIT, ANIMA MEA EXIVIT IN VERBO EJUS.

Transivit ex inferno per mundum ad cælum. *Anima mea*, inquit, *in verbo ejus exivit*, rursus hoc sponsa per filios suos mar-

(t) Adstruit id contra Origenianos egregie S. EPIPHANIUS h. 64. quæ est *Origenianorum* §. 67. *Oper. tom.* 1. *pag.* 598. & in *Ancorato* §. 89. *t.* 2. *p.* 92. *V. etiam* t. 1. *p.* 49.

martyres dicit. *In verbo vero ejus* quod ait, illud Dominicum *Matth. cap. 10. v. 28.*
est: *Nolite*, inquit, *timere ab his, qui occidunt corpus ; animam verò occidere non possunt*. Et iterum: *Quicumque perdit animam* *Jo. c. 10. v. 25.*
suam propter me in vitam æternam servabit eam.

CXXXIIII. QUÆSIVI EUM, ET NON INVENI EUM.

Revera quæsivit Ecclesia pacem in tempore temptationis suæ: sed non fuit opportunum. Tunc enim vere fideles per probationem temptationum clariores ostendebantur: unde dicit:

CXXXV. VOCAVI EUM ET NON OBAUDIVIT ME: PERCUSSERUNT CUSTODES CIRCUMEUNTES CIVITATEM: PERCUSSERUNT ME: VULNERAVERUNT ME.

Custodes hic intellige aperte spiritales Prophetas, & Apostolos, qui invenientes sanctam sponsam percusserunt eam, non ut perimerent, sed ut potius emendarent. Percussit *Ad Coloss. c. 3. v. 5.*
eam Paulus dicens: *Mortificate membra vestra, quæ in terra sunt*. Percussit eam Johannes dicens: *Ipse animam suam posuit pro nobis, & nos debemus animas nostras pro fratribus nostris ponere*. *1. Joan. c. 3. v. 16* Et Propheta quidem in Regalibus adstanti dixit: *percute me*: ille autem noluit, & dixit ei Propheta: *Eo quod non audisti me egredietur leo de silva, & comedet te*. Quia enim spiritalis erat præfigurata percussio, non ad peremptionem animæ *3. Reg. cap. 20. v. 35. 36.*
fuit, sed ad salutem, eo quod pro Deo passi sunt. Unde & Prophetica sententia suscepit terminum. Si quis ergo accedat dicens: mone me: dicit tibi, *percute me*, ut carnem ejus per *3. Reg. cap. 20. v. 38.*
monita tua mortifices. Et iterum alibi dicit: *Percute me: & vulneravit eum*: & per illud vulnus prophetia consummabatur. *Meliora sunt*, inquit, *vulnera amici*, quam spontanea oscula inimici. An non attendis vulnera, quæ fiunt his, qui hodie quidem in multis epulis, & mollibus vestimentis, & in regalibus honorantur, cras vero propter fidem, quæ ad Deum est, corpus suum spiritali conversatione mortificant, jejuniis, terrenisque cubili-

bilibus? vere ſiquidem hæc vulnera cæleſtem talibus provident vitam. Vulnerata eſt ergò ſponſa per Sanctos martyres, & per Paulum dicentem: *Ego ſtigmata Domini noſtri Jeſu Chriſti in corpore meo porto*. Deinde ſubſequitur.

Ad Gal. cap. 6. v. 17.

CXXXVI. TULERUNT PALLIUM MEUM A ME CUSTODES MURORUM.

Pallium eſt, quod Græce maſorium [1] appellatur. Vulnerata ergò ſponſa per proprios filios fiducialiter agit circa ſponſum, & ſublato velamine, detecto vultu, dicit: *Gloriam meam velut in ſpeculo contemplabor*. Prædicti ſiquidem cuſtodes velamen ignorantiæ ab ea tulerunt, de quibus & Heſaias dicit: *Et in muris tuis, Hieruſalem, conſtitui cuſtodes*, qui tota die & tota nocte uſque ad finem non tacebunt Domini memoriam habentes.

Iſ. c. 62. v. 6.

CXXXVII. ADJURAVI VOS FILIÆ HIERUSALEM IN VIRTUTIBUS, ET IN VIRIBUS AGRI SI INVENIATIS FRATRUELEM MEUM, QUID NUNTIETIS EI QUIA VULNERATA CARITATIS SUM EGO.

Fiduciam habet in propriis filiis bona, & ſancta mater Eccleſia: hoc eſt, in Sanctis martyribus, per quos percuſſa eſt; & dicit Apoſtolis, atque Prophetis: *Annuntiate ei, quia vulnerata caritatis ſum ego*. Illi verò rurſus interrogant eam.

CXXXVIII. QUID FRATRUELIS TUUS A FRATRUELI: O SPECIOSA INTER MULIERES?

Ac ſi diceret, quid ſponſus, qui proceſſit ſecundum carnem ex Iſraelitico populo? Speciosam autem eam inter mulieres dicit, quia hæc ſpecioſa eſt inter omnes tribus Iſrael. Illæ enim omnes

(1) Capitis mulierum operimentum, atque ornamentum dictum eſt *μαφόριον* *maſorium*, nec non *maſortium*, *mavorte*, *mavortium*. Quæ de eo diſputari poſſent facile eſt invenire apud SUICERUM, PITISCUM, DUCANGIUM exquiſitiſſimos lexicographos, quos conſulere juvat, expilare autem putidum eſt.

omnes fornicatæ ſunt, cæleſtem relinquentes ſponſum: hæc autem conjuncta ei inſolubilem copulam in perpetuum habebit ad eum.

CXXXVIIII. QUID FRATRUELIS TUUS FRATRUELIS, QUIA SIC ADJURASTI NOS.

Jusjurandum ejus in virtutibus & in viribus agri fuit, hoc eſt, in ſignis, quæ fecit Jeſus, velut in agro, in mundo; ager enim eſt mundus ſecundum Dominum. Reſpondit itaque eis ſponſa ſignificans ſui fratruelis ſpeciem, & dicit: *Matth. c. 13.*

CXL. FRATRUELIS MEUS CANDIDUS ET RUBICUNDUS.

Candidus eo quod peccatum non habuit: *peccatum* enim *non fecit*. Rubicundus autem eo quod ſanguis ejus effuſus ſit, propterea rubicundus. *1. Petr. cap. 2. v. 22.*

CXLI. ELECTUS EX MULTIS MILIBUS.

Hic iterum de corpore dicit, quod participatus eſt ex Virgine Maria: electum autem a multis milibus, non ſolum hominum dicit, ſed etiam Angelorum & Archangelorum.

CXLII. CAPUT EJUS AUREUM CÆPHAZ. Κεφάζ.

Hic caput humanæ figuræ Patriarchas determinat, qui inſtar auri purgati clari ſunt facti per fidem, quæ ad Deum eſt. *Cæphaz* autem dixit propter fortitudinem, nam *Cæphaz* interpretatur *petra*.

CXLIII. CRINES EJUS ABJECTI, NIGRI SICUT CORVUS.

Crines ejus dicit omnes, qui in Dei juſtitia & ſanctitate conſtituti ſunt, ideſt, Apoſtolos & Martyres; quia enim adſimilantur capiti Patriarchæ eo quod ab eis ipſe proceſſerit ſecun-

 dum

dum carnem, competenter Apostolos crinibus comparat. Abjectos autem eos dicit, quoniam flagellati in persecutionibus agebantur a locis ad locum, & a civitatibus ad civitates transeuntes; ait enim eis: *Si vos persecuti fuerint in hac civitate fugite in aliam*. Nigros autem dicit eos, quod affligeretur hic vita eorum. Corvos autem dicendo securam cibi eorum denuntiat actionem, quia corvus Sancto Heliæ ministrasse cognoscitur.

Matth. cap. 23. v. 10.

3. Reg. c. 17.

CXLIIII. OCULI EJUS SICUT COLUMBÆ.

Oculi siquidem Unigeniti, columbæ adsimilati sunt, qui in ecclesiis ordinati sunt, Sacerdotes, quibus etiam donum sancti lavacri commissum est. Virtus enim Sancti Spiritus columbæ, secundum Evangelium, comparatur.

Matth. cap. 3. v. 16.

CXLV. SUPER PLENITUDINES AQUARUM.

Vides quemadmodum consequenter ea, quæ prædicta sunt, comprobantur. Super plenitudinem enim aquarum dicit: hoc est, super plenitudinem sancti lavacri, quod per Sacerdotes tribuitur, & ut apertius hoc intelligatur, rursus infert, & dicit.

CXLVI. LOTÆ IN LACTE, SEDENTES SUPER PLENITUDINES AQUARUM.

Quod ait *in lacte*, innocentiæ probatur significare candorem. *Super plenitudines*, idest, super Legis desideratas observationes; *plenitudo* enim *Legis est caritas*. Sacerdotes igitur oculi sunt. Isti autem per virtutem sacrosancti Spiritus super plenitudines sedent sanctarum Ecclesiarum.

Ad Rom. c. 13. v. 10.

CXLVII. MAXILLÆ EJUS SICUT PHIALÆ AROMATIS GERMINANTIS UNGUENTA.

Maxillas dicit duo Testamenta, quæ unguento fidei odorem suavitatis inspirant; germinant autem & unguenta phialæ, idest, sancta

ſancta Evangelia ex confectione Prophetarum & Legis, quibus unguentis utentes odorem naribus ingerunt, quatenus fœtorem ſceleratorum reſpuant peccatorum.

CXLVIII. LABIA EJUS LILIA DESTILLANTIA MURRHAM PLENAM.

Hic doctos viros, quibus doctrina injuncta videtur, *labia ejus* appellat propter eorum monitionem. *Lilia* vero eos dicit propter munditiam. Deſtillant autem labia murrham, quando ornant Eccleſiam ex oblata a Magis murrha, & de ejus pretioſiſſima ſepultura.

CXLVIIII. MANUS EJUS TORNATILES, AUREÆ, PLENÆ THARSIS.

Clare jam & ſatis aperte ſcriptura divina clavorum Crucis Domini poſitionem exponit. Quando extendit manus in Cruce Dominus, tunc tornatiles factæ ſunt clavis. *Aurea* vero propter hoc quod ſine peccato fuerunt: *plenæ* vero *tharſis* Gentilium converſionem prophetice declaravit; *tharſis* enim interpretatur converſio; ſic enim, Chriſto extendente manus in Cruce, ſancta hæc Eccleſia ex Gentibus eſt converſa ad ſponſum *Pſal. 56. v. 2.*
dicens: *In protectione alarum tuarum ſperabo*, & iterum: *In umbra alarum tuarum protege me.* *Pſal. 16. v. 9.*

CL. VENTER EJUS BUXIS EBURNEA SUPER LAPIDEM SAPPHIRUM.

Ventrem ejus chorum Sanctorum appellat: eburneum autem eum dicit, ſicut elephantinam buxidem, eo quod ſorditiem non recipiat. In hoc ebore codicelli ſcribuntur, non adminiſtrationis terrenæ, ſed cæleſtis imperii. *Super lapidem* autem *ſapphirum* eum dicit, quoniam ſupernus ſapphirus ad ſemetipſum trahit. Sic ergo & Sanctorum chorus appropinquantes ſibi per fidem & juſtitiam haurit ad cælos.

CLI. TIBIÆ PEDUM EJUS COLUMNÆ MARMOREÆ.

Tibiæ pedum corpus omne ſupportant : ſicut & Apoſtoli columnarum inſtar portare probantur eccleſiam : *Marmoreæ*
Ad Gal. cap. 2. v. 9. vero dicuntur propter fortitudinem atque ſoliditatem, ſicut & Paulus ait : *Jacobus & Cæphas* [1] *qui videbantur columnæ eſſe*.

CLII. FUNDATÆ SUPER BASES ARGENTEAS.

Hoc eſt ſuper Dei mandata, quæ argenti ſimilitudine puriſſimæ eſſe noſcuntur.

CLIII. SPECIES EJUS LIBANUS, ELECTUS UT CEDRI.

Ipſum iterum Deum Verbum factum hominem dicit, &
1. Petr. cap. 2. v. 22. ſpeciem ejus ſimilem veteribus juſtis inſinuat : perfectus enim & in nullo mutatus eſt, verumtamen præter peccatum ; *peccatum* enim *non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus*.

CLIIII. GUTTUR EJUS DULCEDO, ET TOTUS CONCUPISCENTIA.

Conſidera jam ex Scripturis divinis, quæ ſit ejus clementia, quando ab ejus gutture, ideſt ex uno membro, dulcia verba proferuntur, non enim cunctas ejus ſuavitates intelligere præ-
Matth. cap. 11. v. 28. valemus. Guttur ejus dulcedo, dum dicat : *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego vos reficiam*. Gut-
Matth. 9. v. 2. tur ejus dulcedo cum diceret : *Confide filia, remittuntur tibi peccata tua*. Guttur ejus dulcedo quando dicebat : *Surge, tolle*

(1) Nota quod ſupra ad v. LX XIII. ubi idem locus affertur deeſt nomen *Cephas*, modo vero deeſt, certe, ut arbitror, deſcriptoris incuria, nomen *Joannes*. Præterea animadvertas oportet in hoc Ep. ad Galatas loco eſſe quædam Græca exemplaria, quæ habent nomen *Petrus*, pro nomine *Cephas*. S. EPIPHANIUM tamen nomen *Cephas* in eo ret nere etiam in *Panario* h. 30. §. 25. Conſule quæ adnotavimus *p.* 23. *n.* 1.

le lectum tuum, & ambula. Guttur ejus dulcedo cum leproso Marc. c. 11. v. 9.
diceret: *Volo, mundare*. Guttur ejus dulcedo cum diceret ha- Matth. 8. v. 3.
benti profluvium sanguinis: *Filia, fides tua te salvam fecit*. Gut- Matth. cap. 9.
tur ejus dulcedo in eo quod dictum est: *Sic dilexit Deus mun-* v. 22.
dum, ut Filium suum unigenitum daret pro nobis, ut omnis, qui Joan. c. 3. v. 16.
credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Guttur Joan. cap. 11. v. 43.
ejus dulcedo quando clamat Lazarum a sepulchro dicens: *Ve-* Luc. c. 2. v. 15.
ni foras. Guttur ejus dulcedo & totus concupiscentia, ait
enim discipulis suis: *Concupiscentia concupivi hoc pascha man-*
ducare vobiscum.

CLV. HIC FRATRUELIS MEUS, HIC PROXIMUS MEUS, FILIÆ HIERUSALEM.

Fratruelis eo quod de Patriarcharum genealogia veniret: *proximus* autem quoniam de cælo descendit, & ad eam adpropinquavit. Sed hic jam, cum indicasset filiabus Hierusalem omnia signa sponsi, respondent ei, & dicunt.

CLVI. QUO ABIIT FRATRUELIS TUUS, O SPECIOSA INTER MULIERES? QUO RESPEXIT FRATRUELIS TUUS? ET QUÆREMUS EUM TECUM.

Docet autem, hoc est, speciosa inter mulieres, quo modo oporteat quæri cælestem sponsum, ait enim: *Quærite per scripturas Dominum omnes humiles terræ, & in operatione judicii facite justitiam*: ait enim sponsa: sic eum pro me quærite; tamen & quo abiit non vos celabo, filiæ Hierusalem.

CLVII. FRATRUELIS MEUS DESCENDIT IN HORTUM SUUM IN PHIALAS AROMATIS.

Hic descensum Domini ad infernum dicit, sicut ipsa con-
sequentia designatur: *phialas* enim *aromatis* antiquos justos IN VULG. HIC INCIPIT CAP. 6.
appellat, Abraham, Isaac, Jacob, Danihel, David, Sa-
muel, Heliseum; isti enim omnes phialæ sunt justitias virtu-
tum suarum aromatibus spirantes. Quia vero in infernum de-
scendens in hortum abiit ipse Dominus testificatur cum dicit Luc. 23. v. 43.
La-

Latroni: *Hodie mecum eris in paradiso*[1], græce enim hortus
Παράδεισος. *paradisus* appellatur.

CLVIII. PASCERE IN HORTIS, ET COLLIGERE LILIA.

Pascere in hortis ac si diceret: per diversas Ecclesias. Nisi enim prius in unum hortum descendisset, & mortis aculeos contrivisset, in multis hortis nequaquam pavisset: hoc est, in ecclesiis per loca diversa fundatis, de quibus & lilia colligit, hoc est, Sanctorum actus, ubi & rationales pascuntur oves; deinde sequenter ait.

CLVIIII. EGO FRATRUELI MEO, ET FRATRUELIS MEUS MIHI.

Ac si diceret: ego illi actus justitiæ, & ille mihi virtutem mercedis, ait enim: *Ecce merces ante faciem ejus, & opus*
Is. c. 40. v. 10. *coram eo*.

CLX. QUI PASCIT INTER LILIA.

Hoc est, in splendore Sanctorum; sed repente Christus, cum vocaretur, exaudiens, & exsultans dicit ad eam.

CLXI. SPECIOSA ES PROXIMA MEA TAMQUAM COMPLACENS, FORMOSA UT HIERUSALEM.

Vere complacere fecisti, Domine, terram tuam. Unde &
Luc. c. 2. v. 14. Sancti Angeli dicunt. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Complacentia vero est quando quis voluntarie quicquam facit: sicut alibi Scriptura testatur: *Vo-*
Psal. 53. v. 8. *luntarie benedicite Dominum*, & iterum: *Voluntarie sacrificabo tibi, Domine*. Ut ergo monstraret spontaneam sponsæ voluntatem ait: *Speciosa proxima mea sicut complacens*: ac si diceret: Spontanea voluntate. Formosa, *sicut Hierusalem*, hoc est,

(1) Eodem plane modo hunc locum ex cap. 23. Evangelii secundum Lucam cum hoc versiculo *Cantici Canticorum*: *Descendit Fratruelis meus in hortum suum*; comparat S. Epiphanius, in *Ancorato* §. 54. *tom.* 2. *pag.* 58.

eſt, cæleſtis civitas, quoniam acceſſiſti cum tuis nutrimentis ad montem Sion, & civitatem Dei vivi Hieruſalem cæleſtem.

CLXII. STUPOR, UT ORDINATÆ.

Stupor eſt utique vere dum conſpiciuntur in ipſum, ideſt, animæ Sanctorum, quæ Deo fide conjunctæ ſunt, de quibus dictum eſt: *Et crediderunt quicumque erant præordinati in vitam æternam.* Act. c.13.v.48.

CLIII. CONVERTE OCULOS TUOS CONTRA ME, QUONIAM IPSI SUSCITAVERUNT ME.

Ac ſi diceret ſponſus ſponſæ: quia jam coram me es, averte oculos tuos a priori converſione tua, meas cuſtodiant vias, & in me ſemper attendant oculi cordis tui, quoniam ipſi ſuſcitaverunt me, hoc eſt, ad amorem tuæ pulchritudinis tranſtulerunt.

CLXIIII. CAPILLATURA TUA SICUT GREGES CAPRARUM, QUÆ REVELATÆ SUNT DE GALAAT.

Multitudinem hic dicit populorum, qui ante fidem equidem aſſimilantur gregi caprarum, poſt fidem vero aſcendunt de Galaat, hoc eſt de habitatione martyrii. Hæc eſt enim interpretatio *Galaat*.

CLXV. DENTES TUI SICUT GREGES DETONSARUM.

Dentes ejus ſunt, qui myſticum panem edunt: detonſos autem eos dicit, eo quod exuerint ſe *vetere homine cum actibus & concupiſcentiis ſuis* in lavacro regenerationis; unde conſequenter eos dicit. Ad Coloſſ. 3. v. 9. &c.

CLXVI.

CLXVI. QUÆ ASCENDERUNT DE LAVACRO OMNES GEMELLOS HABENTES, ET INFECUNDA NON EST IN EIS.

Sic enim geminatæ animæ aſcendunt de ſacro lavacro, quoniam ſolæ deſcendentes cum Sancto Spiritu ſimul aſcendunt. *Infecunda*, inquit, *non eſt in eis*, hoc eſt, quia omnia mandata pariunt & quodquod bonitatis eſt opus.

CLXVII. SICUT RESTIS COCCINEA LABIA TUA.

Pœnitentiam ejus laudat, per quam ſalutem a Deo promeruit, ſicut & Raab meretrix, quæ per coccineam reſtem, quam appendit per feneſtram, legitur eſſe ſalvata. *Joſue cap. 6.*

CLXVIII. ET LOQUELA TUA SPECIOSA.

Fidem hic dicit, quam loquendo pronuntiavit per Petrum dicens: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*; hanc ergò loquelam laudat. *Matth. cap. 16. v. 16.*

CLXVIIII. TAMQUAM CORTEX MALAGRANATI GENÆ TUÆ.

Hoc ait propter ſimilitudinem coloris ſanguinis Chriſti.

CLXX. EXTRA TACITURNITATEM TUAM.

Hic enim taciturnitatem aliam pulchritudinem eſſe definit, tacet enim ab indecoris verbis, & clamat in Chriſti confeſſione. Recte ergo mirabilis eſt apud ſponſum etiam cum tacere videatur.

CLXXI.

CLXXI. SEXAGINTA SUNT REGINÆ, ET OCTOGINTA CONCUBINÆ, ET ADULESCENTULÆ, QUARUM NON EST NUMERUS.

Sexaginta dicit *reginas*, hoc eſt, animas ſexaginta potentium [1], quæ ſunt in circuitu lecti Salomonis; *Octoginta vero concubinas*, ideſt, animas Prophetarum, qui non aperte prophetaverunt, ſicut Helias, & Heſaias, & Hieremias, & Ezechiel, Danihel, David, Heliſeus, & duodecim: ſed quicumque in Regum libris per tranſitum leguntur fuiſſe Prophetæ, iſtos arbitror dici, *concubinas*. Adulescentulæ autem innumeræ ſunt juſtorum animæ, de quibus & David dicit: *Dinumerabo eos, & ſuper arenam maris multiplicabuntur*. Omnibus ergo in ipſum collectis dicit: *Una eſt columba mea, perfecta mea*: in ſancta enim Eccleſia ipſius omnes perfecti fiunt; fides enim columba eſt non ſenſibilis, ſed intelligibilis, quoniam illius, quæ Jordane apparuit, ſimplicitate veſtitur [2].

Pſal. 138. v. 18.

Matth. cap. 13. v. 16.

CLXXII. UNA EST MATRI SUÆ: ELECTA EST GENITRICI SUÆ.

Ideſt, cæleſti ſapientiæ una eſt catholica Eccleſia: electa autem vere dum regenerationis lavacro renata eſt.

CLXXIII. VIDERUNT AUTEM EAM FILIÆ, BEATAM DICUNT EAM REGINÆ, ET CONCUBINÆ LAUDABUNT EAM.

Ideſt, Sanctorum, qui prædicti ſunt, animæ, per inhabitantem in eis Sanctum Spiritum, viderunt eam olim. Vidit eam Moſes in monte: vidit eam Heſaias aliquando tamquam deſolatam: vidit eam Zacharias: vidit eam David, & dixit:

(1) Vide quæ Auctor ſupra commentatus eſt ad v. xxxxi.

(2) Non eſt ſilentio prætermittendum aliam huic verſiculo *Cantici Canticorum* explicationem dediſſe S. EPIPHANIUM in *Panario*, nempe ſuæ hæreſeum LXXX. deſcriptioni accommodatam. *V. h.* 35. §. 3. *tom.* 1. *pag.* 261. & in *Expoſitione Fidei* §. 3. *&c. pag.* 1080. *&c.*

Pfal. 21. v. 32. dixit: *Annuntiabitur Domino generatio ventura*: vidit Salomon ex tunc ædificatam: viderunt eam omnes jufti fpiritalibus oculis, & beatam dixerunt eam, & fuperlaudaverunt eam; audierunt enim fponfo dicente: *tota fpeciofa es, & macula non eft in te*; unde & admirantes eam dicunt.

CLXXIIII. QUÆ EST ISTA QUÆ PROSPICIT SICUT DILUCULUM.

Diluculum enim effulgit & ex tenebris, ficut etiam ifta ab intelligibilibus idololatriæ tenebris exorta eft, unde in Hefaia dicit ad fponfum: *Ex nocte furgit diluculo Spiritus meus ad te* *If. cap. 26. v. 9.* *Deus, quoniam lumen eft præcepta tua*.

CLXXV. SPECIOSA SICUT LUNA, ELECTA UT SOL.

Lunæ autem Ecclefia prophetice comparatur, eo quod perveniat ad temptationes, & renovetur denuo cum temptationes evincit. Non autem in hoc folummodo, fed etiam eo quod perveniat ufque ad mortem, & renovetur ficut fol: hoc eft, propter inmenfam fidei lucem, & quia juftitiæ fol formavit femetipfum in ejus filiis, ficut amicus fponfi Paulus dicit: *Ad Gal. cap. 4. v. 19.* *Quos iterum parturio donec formetur Chriftus in vobis*.

CLXXVI. STUPOR UT ORDINATÆ.

Act. c. 3. v. 4. Hunc ftuporem dicit propter figna, quæ faciebant ejus Apoftoli; vere enim ftupuerunt populi, quando viderunt *Act. c. 9. v. 36.* clodum a nativitate exilientem, & Dorcadam a mortuis refurgen*Act. c. 5. v. 15.* tem, & infirmos umbram Petri falvantem. Hæc afpicientes ftupuerunt, & crediderunt quotquot erant præordinati in vitam æternam. Deinceps fponfus ait.

CLXXVII.

CLXXVII. IN HORTUM NUCIS DESCENDI VIDERE IN GENERATIONE TORRENTIS.

Hortum nucis recte quilibet dicit Hierufalem, quoniam virga Aaron ibidem germinavit [1]. Nux germinans in generatione, inquit, torrentis, ideft in tempore paffionis, de quo torrente dicit David: *Torrentem pertranfivit anima noftra.* *Pfal. 123. v. 5.*

CLXXVIII. VIDERE SI FLORUISSET VINEA.

Vinea vero dicitur populus. *Vinea*, inquit, boni palmitis Hierufalem; & alibi: *Vineam ex Ægypto emigrafti.* Defcendit autem videre generationem, hoc eft, quando Dominus mifit filium fuum, ut acciperet de fructu vineæ: illi autem eicientes eum extra vineam occiderunt eum, ideft extra Hierufalem crucifixerunt Chriftum. *Ifaias cap. 5.* *Pfalm. 79. v. 9.* *Matth. c. 21.*

CLXXVIIII. FLORUERUNT MALAGRANATA.

Res valde mirabilis: defcendit enim videre fi floruiffet vinea, & dicit: *Floruerunt malagranata*. Quæ eft hæc confequentia? Sed fi fpiritaliter intelligamus, difpenfationem videbimus, quoniam ex vineis fructum non fecerunt, fed potius fecundum Hefaiam, fpinæ germinaverunt, ex quibus coronaverunt Dominum: propterea malagranata floruerunt, hoc eft, per loca fingulæ Ecclefiæ conftitutæ funt. Sicut enim malagranata flavum colorem habentia & faporem vini innumera grana intra femetipfa concludunt, fic & Ecclefiæ per Chrifti flavefcunt fanguinem, & iterum per eundem fpiritale vinum poffident, & multorum hominum gentes ad inftar malagranati intra femetipfas recondunt fimul & alunt. De cetero, exfultans fponfa cum defcendiffet, fponfus ait. *Ifaias cap. 5.*

(1) Virga Aaron germinans eft hic Sancto EPIPHANIO J. Ch. ex mortuis refurgens in viciniis Jerufalem. Similitudinis rationem vide apud S. GREGORIUM *Moral. lib. 14. num. 48.*

CLXXX. ILLIC DABO UBERA MEA TIBI.

Cum dicit *illic*, designat Ecclesias, quæ populum instar malagranati continent, atque florent. Ubera vero sua definit duo Testamenta. Hæc autem ubera sponsi sunt sicut ipsa dicebat: *bona ubera tua super vinum*. Dedit autem sponsæ propriæ, ut per ea filios lactaret Ecclesiæ. Quando ergò dicit sponsa, *dabo ubera mea tibi*, commemorat quia in Ecclesia permanens omne mandatum, quod per ubera didicit, offerre promittit sponso. Ita rursus ipsa sponsa dicit.

CLXXXI. POSUIT ME CURRUS AMINADAB.

Aminadab interpretatur patris bona voluntas. Patris igitur bona voluntas posuit Ecclesiam in Evangeliorum currus: qui verò in illis ascendit cælestem adorabit sine dubio Patrem.

CLXXXII. CONVERTERE CONVERTERE SALAMITIS.

Salamitis [1] dicitur, quæ testificatur in aqua. Quoniam igitur hæc in aqua lavacri testificatur se credere in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ideo eam Salamitidem vocant omnes Sancti. Quod autem secundo dicunt *convertere, convertere*, hoc ostendunt, quia non solum ex Gentibus, sed etiam ex Judæis colligitur; & ut non solum ore, sed etiam corde se credere fateatur, inquit.

CLXXXIII.

(1) Sic Codex. Veteres Codices adnotante MARTIANÆO in sua Operum Sancti HIERONYMI editione, necnon editiones Sixtina aliæque complures habent *Sunamitis*, ut legitur etiam in libris Liturgicis. At secundum textum Hebraicum potior lectio est *Sulamitis*, & quoniam hoc nomen ex Salomonis nomine exoriri alicui visum est, ita ut significet *Sponsa Salomonis*, haud mirum est, quod noster Codex non habeat *Sunamitis*, aut *Sulamitis*, sed *Salamitis*.

CLXXXIII. CONVERTERE, ET VIDEBIMUS IN TE.

Ac si diceret, convertere a fornicatione in castitatem: ab ira in mansuetudinem: a furore in mitigationem: a multis Diis ad unius Dei cognitionem, & videbimus in te Christum.

CLXXXIIII. QUID VIDETIS IN SALAMITIDE?

Hic sermo sponsi mihi esse videtur; quia enim Sanctorum chorus dicebat: *Convertere & videbimus in te*: ipse Dominus dicit: *Quid videtis in Salamitide?* Deinde respondent illi quod in psalmis dictum est: *Quia apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*. IN VULG. HIC INCIPIT CAP. 7. Ps. 35. v. 10.

CLXXXV. QUÆ VENIT TAMQUAM CHORI CASTRORUM.

Post baptisma enim, velut chori castrorum sunt. Sicut Angeli enim Dei ita constituuntur nuper baptizati propter munditiam; quia enim Dei castrum Angelis plenum est, Jacob patriarcha testatur: cum enim Angelis occurrisset dicebat: *Hoc castrum Dei est*. Genes. c. 28.

CLXXXVI. QUID SPECIOSI FACTI SUNT GRESSUS TUI IN CALCIAMENTIS FILII AMINADAB.

Admiratur enim etiam indumenta filiæ, quæ Patri complacuit. De his autem indumentis dicit & Paulus exhortando filios Ecclesiæ: *Calciantes pedes in præparatione Evangelii pacis*; miratur autem & gressus ejus, qui sunt Apostoli, ait enim: *Speciosi pedes evangelizantur pacem*. Ad Ephes. c. 6. v. 15. Ad Rom. c. 10. v. 15.

CLXXXVII.

CLXXXVII. MODULI FEMORUM TUORUM SIMILES REDIMICULIS, OPERE MANUUM ARTIFICIS.

Hic pudicitiam ejus laudat Scriptura dicens: *Moduli femorum tuorum similes redimiculis*. Et unde ei sunt hæc ministrata? Significat dicens, quia non aliunde nisi *ab opere manuum artificis*, qui fabricavit cælum & terram & omnia, quæ in eis sunt.

CLXXXVIII. UMBILICUS TUUS CRATER TORNATILIS NON DEFICIENS MIXTO.

Jam mihi videtur dignitates inspirare sacerdotales. Cum enim dicit *umbilicus tuus crater tornatilis non deficiens mixto*, ostendit illos, quia numquam perennis fontis fructiferæque vineæ mixtione deficiunt: tornatilem verò craterem hunc dicit, quoniam instar artificum pincernarum Sacerdotes inculpabiles existentes ad miscendum poculum consecrantur, secundum Apostolum dicentem: *Probentur & sic ministrent*.

1. *ad Timoth.* c. 3. v. 10.

CLXXXVIIII. VENTER TUUS ACERVUS FRUMENTI SEPTUS LILIIS.

Ventrem ejus dicit magnam hominum Dei multitudinem; quoniam frumenti similitudine populus velut acervus congeritur. Septum verò illum dicit in liliis, eo quod in divino suavitatis eloquio undique velut circumseptus maceria custoditur.

CXC CERVIX TUA, UT TURRIS EBURNEA.

Cervicem demum dicit mundissimum Diaconorum officium, quia enim caput Ecclesiæ Christus est, isti verò & corpus & sanguinem baptizant, recte capitis Ecclesiæ, idest Christi cervix esse dicuntur. *Sicut turris* autem ait, quoniam eos, qui

qui refugiunt ad Ecclesiam, muniunt velut in turre cautissima, sicut scriptum est: *Turris fortitudinis a facie inimici*. Eburnea verò eo quod nullam recipiat iumunditiam, sicut & Sanctus Paulus ait: *Diaconos similiter honestos, non bilingues, non vino multo deditos, adtendentes mysterium ex munda conscientia*, quoniam qui bene ministrant, gradum sibi bonum possunt adquirere inculpabiliter caput Ecclesiæ sustinentes.

Ps. 60. v. 4.

1. ad Rom. c. 3. v. 8. 9.

CXCI. OCULI TUI SICUT STAGNA IN ESEBON IN PORTIS FILIÆ MULTORUM.

Esebon interpretatur cogitationes; ubi enim conscientiæ puritas, illic cogitationum est æquitas. Quia enim ex cordis obtutu solummodo interiores sunt oculi, qui non solum visibilia, sed etiam intelligibilia contemplantur, isti, velut stagna, repleti ex intelligentia scripturarum, semper emanant. Facti sunt autem velut stagna eo quod sapientum cordibus dilatentur: ait enim: *Scientia sapientis sicut diluvium redundavit*. *In portis*, inquit, *filiæ multorum*, quoniam filia multarum gentium Ecclesia facta est, & ex centum viginti, qui ex ipsis duodecim tribubus erant, sicut & in Hesaia dicit: *Venient alienigenæ, qui pascant oves tuas, & alienigenæ, qui arent & colant vineam*.

Eccl. c. 21. v. 16.

Is. c. 61. v. 5.

CXCII. NARES TUI SICUT TURRIS LIBANI PROSPICIENTES FACIEM DAMASCI.

Nares sponsæ tropice Sanctum Paulum designant Apostolum, quoniam duorum Testamentorum respiramenta ipse ei contra dicit. Nares enim duobus ribulis spiritum adtrahentibus vitam largire pro[illegible]antur hominibus; similiter & Sanctus Apostolus tamquam duobus naribus, veteri novoque Testamento universum orbem terrarum quodammodo vivificare dignoscitur. Turris etiam Libani dicitur iste: Libanus enim, sicut prædictum est, candor interpretatur; quicumque enim Sancto sunt candidati lavacro, protectione Apostolica custoditi munus æternæ festivitatis adepti sunt. Consequentia verò monstrabunt nobis, quia vere Paulus nares sunt. *Prospicientes*, inquit,

inquit, *faciem Damasci*: tunc enim iste in Damascum ibat
Act. cap. 8. insecutor discipulorum, qui ibidem erant, quando illam cælestem meruit visionem.

CXCIII. CAPUT TUUM IN TE SICUT CARMELUS.

Carmelus interpretatur agnitio circumcisionis. Caput autem Ecclesiæ Christus est. Quoniam igitur & ipse justitiam circumcisionis agnovit, propterea dixit: *caput tuum in te sicut Carmelus*.

CXCIIII. ET ORNATUS CAPITIS TUI, UT PURPURA.

Ornatum capitis plebem dicit Ecclesiæ; quia velut capilli ad ornatum nectuntur Ecclesiæ. Sicut ait beatus Apostolus. *1. ad Corinth. c. 11. v. 15.* *Mulier si comam nutriat gloria ejus est, quia comæ pro velamine datæ sunt*. Ecclesia verò multitudine plebis pro crinibus operitur, secundum Hesaiam dicentem: *Omnibus eis induc-* *Is. c. 49. v. 18.* *ris, & appones eos velut ornamentum sponsæ*. Hoc autem ornamentum esse sicut purpura, dictum est, spiritale namque erat hoc quod prophetabatur, sicut enim purpura conchyliorum sanguine tingitur, sic & ornatus sponsæ, idest multitudo plebis, sanguine Christi lavatur, quatenus Ecclesia intelligibili purpura vestiatur, sicut & Patriarcha Jacob de ista re propheti- *Genes. cap. 49. v. 11.* zans dicit: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ amictum suum*. Stola verò ejus & amictus hæc esse probatur Ecclesia.

CXCV. REX VINCTUS IN TRANSCURSIBUS.

Iste est itaque rex, de quo & David dixit: *Dominus re-* *Ps. 92. v. 1.* *gnavit; decorem induit*. Vinctus est autem ipse non sponsæ suæ necessitate, sed voluntate clementiæ, sicut dicebat Aposto- *Matth. cap. 28. v. 20.* lus: *Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*. *In transcursibus* autem dictum est, quia de cælo trans-

transcurrens in terram venit, & iterum in infernum transcurrens, & mortuos resuscitans, rursus transcurrens in cælos abiit, *& ascendit super Cherubim & volavit*. Ps. 17. v. 11.

CXCVI. QUAM SPECIOSA FACTA ES, QUAM SUAVIS.

Vere speciosa facta est, & vere suavis, non divina virtus (neque enim augmentum recipit, nec detrimentum Divinitas) sed humilitas ejus speciosa facta est, atque suavis pulchritudine Divinitatis, cum sedisset in regno cælorum in dextera Patris.

CXCVII. CARITAS IN DELICIIS TUIS: MAGNITUDO TUA SIMILIS EST PALMÆ, ET UBERA TUA BOTRYONIBUS.

Caritas revera in deliciis non carnalibus, sed quæ ex fide sunt, & spe, de quibus deliciis etiam David dicit: *Delectare in Domino, & supplica ei, & dabit tibi petitiones cordis tui*. Ps. 36. v. 4. Quod autem hæc magnitudo palmæ adsimilatur? Multis modis sponsæ magnitudo adsimilata est intelligibili palmæ, de qua videtur mihi & David dicere: *Justus ut palma florebit*. Psal. 91. v. 13. Palma verò candidissimum cor habet, sicut sunt justorum splendida valde consilia, quæ non circa terram pascuntur, sed cælestia circumeunt. Nam etsi aculeos videtur habere palma, sic ut palmæ aculei avium vastationem repellant, sic & justorum increpationes injustos viros amovent, ne injuriam alienæ conversationi inferre moliantur. *Verba enim sapientum velut boum stimuli, & tamquam clavi igniti de notis unius pastoris*: Eccles. 12. v. 11. de notis autem dicit duorum Testamentorum: de pastore vero uno, idest Deo. Istæ sunt increpationes justorum, ut unusquisque percussus in his corde conpungatur, & abstineat ab omni peccato. Deinceps ait: *Et ubera tua botryonibus*. Sicut enim palmarum botryones fructu pleni dulcem præbent comedentibus cibum, sic & hæc duo ubera præceptis dulcibus comantia volentibus satietatem maximam largiuntur.

CXCVIII. DIXI: ASCENDAM IM PALMAM, TENEBO ALTITUDINES EJUS.

Delectatum est cæleste Verbum puritate justorum, & exuit se principiis & potestatibus, & servi formam accipiet, unde dicit: *Ascendam in palmam tenebo altitudines ejus*; quando verò altitudines justorum ipse tenuerit, tunc sine ruina permanebunt, dum semper ab eo servantur, & ventorum inmissiones, hoc est, temptationes facile sustinebunt. Deinde consequenter adicit.

ad Philip. c. 2. v. 7.

CXCVIIII. ET ERUNT UBERA TUA, SICUT BOTRYONES VITIS.

Sicut enim botryones vitis conculcati, & contriti emanant poculum vini lætificantis, sic & justi in temptationum compressionibus instar botryonum contriti sua victoria spiritalem lætitiam Ecclesiæ præstant.

CC. ET ODOR NARIUM TUARUM SICUT MALA.

Hic odorem fidei a Paulo, qui naribus comparatus est, traditum ei significat; ipse enim dixit: *Christi bonus odor sumus*. *Sicut mala*, inquit, quoniam mala in semetipsis habent simul duo bona: cibum & potum; sicut & fidei bonus odor per spiritalem comestionem nobis præparavit Christi corpus & sanguinem.

2. ad Corinth. c. 2. v. 15.

CCI. ET FAUCES TUÆ TAMQUAM VINUM BONUM, VADENS FRATRUELI MEO IN DIRECTIONEM, SUFFICIENS LABIIS MEIS ET DENTIBUS.

Eccli. cap. 16. v. 21.

Vere Domini fauces sicut vinum bonum, ait enim Scriptura: *Mens verba discernit: fauces autem cibos gustant*. Ergò spiritales cibos, corporis, dico, Christi ac sanguinis gustans

ſtans Eccleſia fauces habet. *Tamquam vinum*: vinum enim cum bibitur triſtitiam ſedat, & cor ducit ad gaudia, ſic etiam hocSacramentum mox ad remiſſionem peccatorum datum fuerit, dolorem quidem, qui provenit ex peccatis, ſedat, & a curarum onere relevat, ſicut ipſe Dominus dicit: *Accipite & bibite, hic eſt enim ſanguis meus, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Matth. cap. 26. v. 28. Mirabile autem eſt quod ait: *Vadens fratrueli meo in directionem*, rectis enim convenit hoc accipere, ſicut Apoſtolus dicit: *Probet ſemetipſum homo prius, & ſic de pane edat, & de calice bibat*, 1. ad Corinth. c. 11. v. 28. ut cum rectitudine pergat ad ſpiritalem noſtrum fratruelem, ipſe enim dixit: *Jam vos non dico ſervos, ſed fratres*. Jo. c. 15. v. 15. Bene autem hujus myſticæ perceptionis quantitatem nobis expoſuit dicendo: *Sufficiens labiis meis & dentibus*, per hoc enim quod ait hoc ſufficere labiis ac dentibus, perfectam nobis ſalutem donare cognoſcitur ſolummodo ſi cum rectitudine capiatur.

CCII. EGO FRATRUELI MEO, ET IN ME CONVERSIO EJUS.

Ac ſi diceret: ego culturam exhibeo ac deſervio fratrueli meo: Mihi ait: *Adhærere Deo bonum eſt, ponere in Deo ſpem meam*; Pſ. 72. v. 27. & iterum: *Adhæſit anima mea poſt te, me autem ſuſcepit dextera tua*. Pſ. 62. v. 9. Ego fratrueli meo adhærens non recedam, ſicut Judæorum ſynagoga. *Et erit in me converſio ejus*; dum in ſecundo adventu venerit, & me de totius terræ finibus congregarit.

CCIII. VENI FRATRUELIS MEUS, EXEAMUS IN AGRUM, MANEAMUS IN VICIS: DE LUCE VIGILEMUS AD VINEAS.

Ab iſto loco ſponſa vocat ſponſum, ut cum eo exeat in agrum; hoc eſt, in mundum; mundus enim eſt ager: & maneat cum ipſo Unigenito, quoniam in univerſam terram, & civitates, & vicos Eccleſiæ Chriſti, ſimilitudine vineæ, ſunt plantatæ, ſicut & Propheta dicebat: *Dilata funiculos manſionum* Iſ. c. 54. v. 2.

sionum tuarum : *fige*, *noli parcere*, *&* *palos tuos conforta adhuc in dexteram*, *&* *sinistram evola unde exultaris*. Sponsa in mirabili creatura ait ad sponsum: *Maneamus in vicis* : *diluculo vigilemus ad vineas*. Quod autem ait *diluculo vigilemus*, hoc modo differitur, ac si diceret: de nocturnis tenebris transeamus ad lucem; sub nocte enim Dominica Resurrectio diluculo facta est. [1]

CCIIII. VIDEAMUS SI FLORUIT VINEA.

Hoc est, si prædicatio fidei a fidelibus reddit odorem suavitatis.

CCV. FLORUIT ODOR SUAVIS, FLORUERUNT MALAGRANATA.

Hic nuper baptizatos dicit, qui instar vineæ suaviter redoluerunt, & suavitatis odorem inspiraverunt; & horum animas malagranatis assimilat, eo quod & ipsæ concoloræ factæ sint, tinctæ sancto Christi sanguine.

CCVI. ILLIC DABO UBERA MEA TIBI.

Hoc est: quotquot per ubera mea inluminavi, & in insis eos informavi, hos tibi dabo signatos. Quod autem ait *illic*, magnum nobis diem significavit, ac si diceret: ut tu accipiens eos dicas: ecce ego & puri, quos mihi dedit Deus.

CCVII.

(1) Qua noctis hora J.C. e mortuis resurrexerit non est in sacris Litteris traditum, & idcirco non est una omnium antiquorum scriptorum sententia. Alii sub noctem contigisse ferunt, alii nocte media, alii sub aurorem. Cum his, qui probabiliorem opinionem sequi videntur, concinit hoc in loco Auctor, nec secum ipse pugnat eo quod supra dixerit ad *v.* CXXVII. *Resurrectionem factam esse quando ros descendere consuevit*. Scilicet, ut Ciceronis usurpem versiculum ex *lib.* 1. *de Divin.*

Cum primum gelidos rores Aurora remittit.

Petavius tom. 2. *Oper.* S. EPIPHANII *pag.* 276. Orationem quamdam edidit in sanctam Christi Resurrectionem in Mss. Codd. EPIPHANIO adscriptam, in cujus principio diserte idipsum adseritur, nimirum mane diluculo J. C. a mortuis resurrexisse, verum alius EPIPHANII foetus esse videtur Oratio illa, non S. EPIPHANII nostri; complures enim recensentur hujus nominis celebres viri, & in ipsa etiam Cypri Episcopali sede duo alii fuere EPIPHANII præter nostrum.

CCVII. MANDRAGORÆ DEDERUNT ODOREM.

In Lege dictum est, quia mercis mandragoræ Hisacar facta est; & iterum in benedictionibus Patriarcharum dixit Jacob: Hisacar bonum concupivit. Intelligibiles ergo mandragoræ sunt Ecclesiæ filii, & isti bonum concupiverunt: & ita convenit hoc, quod dictum est: *Dederunt odorem*, hoc est, suavitatem fidei. Dicamus autem de mandragoris aliquid naturale, istæ siquidem radices sub terram habentes, velut in hominis imaginem eas explicant. Hoc autem non est præter figuram mysticam, portantes enim sub terram mortuorum imaginem in resurrectionis tempore odorem fidei dabunt, crediderunt enim illi resurrectioni, & ita dormierunt.

Gen. cap. 30.
Ib. cap. 49. v. 15

CCVIII. ET JANUAS NOSTRAS OMNIA POMA.

Hic Ecclesia animas sanctorum adsumens dicit: *Et in januas nostras omnia poma*. Januæ siquidem animarum sunt aures, & ora, & oculi, per quæ animæ poma dicit procedere: per oculos equidem honesta mandata: per aures autem divinorum præceptorum ordines: in ore autem nostro est hymnodiæ Veteris Novique Testamenti meditatio. Hæc membra nobis januæ sunt, quas nos omnes claudere debemus corruptibilibus & libidinosis seductionibus: & oculis quidem expellamus concupiscentiam, ori vero non permittamus, ut loquatur incongrua, secundum Apostolum dicentem: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat*. Unde & beatus David, ait: *Pone Domine custodiam ori meo, & januam circumstantiæ labiis meis*; aures vero ut claudamus, ne audiant judicia sanguinum, & obloquentem occulte proximo hunc persequamur. Si sic fecerimus Deum lætificamus, Christum glorificamus, Sanctum Spiritum, qui in Veteri & Novo Testamento locutus est, in nobis sanctificamus, unde & consequenter dicit.

Ad Ephes. c. 4. v. 29.
Ps. 140. v. 3.
Ps. 100. v. 5.

CCVIIII. NOVA AC VETERA, QUÆCUMQUE DEDIT MIHI MATER MEA, FRATRUELIS MEUS SERVAVI TIBI.

Novum dicit & Vetus Teſtamentum, in quibus & juſtitias & præcepta ſponſo ſuo ſervavit, ac ſi diceret: ex Lege audivi: *Non adulterabis*, & cuſtodivi; ex Novo vero Teſtamento in Evangeliis audivi: *Abſcide concupiſcentiam*, & hoc quoque perfeci. Rurſus ex Lege: *Non peierabis* audiens; & ex Evangeliis: *Neque omnino jurabis*, hæc omnia proprio ſponſo & fratrueli ſervavi, ut per tales actus oleum portans & lampadam fidei in manibus habens, in occurſum præpararer ſponſi. Unde & Dominus dicebat ad Scribas, præcepta Legis ſimul & Evangelica facientes: *Simile eſt regnum cælorum homini proferenti de theſauro ſuo nova & vetera*. Nova quidem Evangelii præcepta: vetera vero Legis mandata, dicens.

Matth. cap. 5. v. 27. 28. 33. 34.

Matth. cap. 13. v. 5.

CCX. QUIS DABIT TE, FRATRUELEM MEUM, SUGENTEM UBERA MATRIS MEÆ.

Magna & valde mirabilia ſacramenta, quæ in hac ſancta Scriptura continentur! Non enim dixit *Sugentem ubera mea*: *ſed ubera matris meæ*. Quomodo vero poſſibile eſt fratruelem ejus grandem jam, atque perfectum, iterum carnaliter matris ubera ſugere? Quod enim ait *Sugentem*, non eſt hoc perfectorum virorum, ſed nimis infantium; ait autem Sponſa ad Sponſum. *Quis dabit te fratruelem meum ſugentem ubera matris meæ?* Mater autem ſponſæ ſapientia eſt: fratruelis vero Dominus Jeſus incarnatus & factus perfectus homo, qui eſt ante ſæcula Deus Verbum. Quando ergo ipſe Dominus Jeſus in his, qui nuper baptizantur, conformatur in infantibus modo genitis Eccleſiæ, tunc per illos ipſe fratruelis Jeſus ſugit ubera matris ſponſæ, audiunt enim ex uno ubere, quod in Veteri Teſtamento conſcriptum eſt per Zacchariam dicentem: *Unuſquiſque malitiam proximi ſui in cordibus ſuis non reputet*. Similiter Heſaia dicente: *Audite Verbum Domini, qui timetis ſermonem ejus, dicite odio habentibus & abominantibus: vos fra-*

IN VULG. HIC INCIPIT CAP. 8.

Zachar. cap. 8. v. 17.

Iſ. cap. 66. v. 5.

tres

tres nostri vos. Ecce lac bonum fugite. Et iterum ex Evangeliis audiunt velut ex alio ubere illud perfectum verbum: *Diligite inimicos vestros, benefacite odio habentibus vos, & orate pro eis, & pro persequentibus vos*. Item ex Apostolo Paulo: *Nulli malum pro malo reddentes, sed semper facientes bona*. Matth. cap. 5. v. 44. Ad Rom. c. 12. v. 17.

CCXI. INVENIENS TE FORIS, OSCULABOR TE, ET QUIDEM NON DESPICIENT ME.

Quoniam foris Hierusalem crucifixerunt Dominum, & per Crucem osculata est eum Ecclesia, quem foris videbat crucifixum, ut a peccato liberaretur, ait: *Inveniens te foris osculabor te & quidem non despicient me*. O speciosa, ac si diceret, quoniam spiritalis osculum sacramenti pronuntio, quod est inculpabile, & a vitio maculæ carnalis inmaculatum, magis in hoc admirabilis apparebo Sanctis omnibus. Quia ergo de cruce sermo fuit consequenter dicit.

CCXII. ASSUMAM TE, ET INDUCAM TE IN DOMUM MATRIS MEÆ, ET IN CUBICULUM EJUS, QUÆ ME CONCEPIT.

Hic ipsum corpus, hoc est, plenitudo Ecclesiæ dicit ad Deum Verbum: *Assumam te, & inducam te in domum matris meæ*. Mater autem corporis terra est, & cubiculum infernus: ait enim: *Terra es, & in terram ibis*. Cubiculi enim similitudine mors animas retinebat, ait enim: *Regnavit mors ab Adam usque ad Mosen, & in eos, qui non peccaverunt prævaricatione*. Ergo facta caro Verbum induxit velut in domum pro nobis in mortem ubi erat, & cubiculum terræ, quæ concepit nos. Induxit ergo eum ibi, ut iterum ille, solvens dolores mortis, omnes exinde liberaret: qui enim sedebant in tenebris & in umbra mortis lumen viderunt per lucem ineffabilem, qui justitiæ Sol est. Genes. cap. 3. v. 19. ad Roman. c. 5. v. 14.

CCXIII.

CCXIII. POTUM DABO TIBI DE VINO UNGUENTARIO.

Deinceps Sponsus ad Sponsam dicit: *Potum dabo tibi de vino unguentario*; potavit enim eam revera per Apostolos dicens: *Accipite & bibite*. Et non simpliciter vinum ait, sed vinum unguentarium; vere siquidem unguentarium vinum est spiritale vinum, quod Spiritu Divino conficitur.

Matth. cap. 26. v. 27. &c.

CCXIIII. A FLUXU MALAGRANATORUM MEORUM.

Utique ab ejus divino fluxu malagranata sunt facta, ex latere enim ejus defluxit sanctus sanguis, & aqua, ut per hæc potaret & sanctificaret sponsam.

CCXV. LÆVA EJUS SUB CAPITE MEO, ET DEXTERA EJUS COMPLECTETUR ME.

Lævam semper præsens sæculum dicit, dexteram vero futurum secundum Scripturam dicentem: *Longitudo dierum & anni vitæ & pacis in dextera ejus: in sinistra vero ejus divitiæ & gloria*; ac si diceret sponsa: quia & in præsenti sæculo bonis ejus omnibus non fraudabor, & in futuro ab eo denuo glorificabor, dum bonus pastor filios meos, velut oves vocans, in dextera constituerit dicens: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi*.

Vid. supra ad n. XLV.

Proverb. cap. 3. v. 16.

Matth. cap. 25. v. 34.

CCXVI. ADJURAVI VOS, FILIÆ HIERUSALEM, IN VIRTUTIBUS, ET IN VIRIBUS AGRI, QUOD LEVASTIS ET QUOD SUSCITASTIS DILECTIONEM USQUE QUO VOLUERIT.

Incessabiliter instat sæpe rogans atque conjurans animas Sanctorum, ut pro nobis ejus filiis intercedant, quatenus dilectionem suam Christus confirmet in nobis, quousque voluerit assumere nos. Sicut & David personam ejus assumens dicit exorans:

exorans: *Et in umbra alarum tuarum sperabo donec transeat iniquitas*. Transiet enim quando ipse veniens ab ista nos vita vocaverit, unde & Paulus dicebat: *Qui moritur, justificatur a peccato*. *Psal. 56. v. 2.*

CCXVII. QUÆ EST ISTA, QUÆ ASCENDIT DEALBATA, INCUMBENS SUPRA FRATRUELEM SUUM.

Hic jam vident eam omnes justi ascendentem de Baptismate dealbatam. Quod autem ait: *incumbens supra fratruelem suum*, firmitatem eam in ipsum habere significat. Unde dicit ejus sponsus.

CCXVIII. SUB ARBORE MALI SUSCITAVI TE.

Quando ipse Dominus, velut malum in arbore, ita in patibulo Crucis suspensus est, tunc eam suscitavit, idola deiciens inimici. Quia vero malo consimilatur testis est Scriptura dicens: *Sicut malum in media silva, sic fratruelis meus in medio filiarum*. *V. sup. v. xxxviii.*

CCVIIII. IBI PARTURIVIT TE MATER TUA: IBI GENUIT TE MATER TUA.

Vere ibi parturivit Ecclesiam mater ejus. Ubi hoc est? in Cruce. Mater autem est ipsa caro Unigeniti, & ibi parturivit eam quando dolores pro ea sustinuit cum crucifigeretur, & clavis perforaretur, & lancea latus ejus percuteretur; quatenus sicut Adæ ex latere ejus uxor est facta, sic etiam hic ex sacro latere Christi fingeretur Ecclesia, per aquam illam, quæ exinde fluxit, regenerationis munere baptizata.

CCXX. STATUE ME UT SIGNACULUM IN CORDE TUO, UT SIGNACULUM SUPRA BRACHIUM TUUM.

Signaculum Crucis præcepit constitui prius in corde, se-

cundo vero in brachio, ut corde credentes hymnos offeramus Deo, brachio vero, ut quæ sunt utilia faciamus.

CCXXI. QUIA VALIDA EST, UT MORTIS DILECTIO.

Hic sponsus confortans sponsam dicit: *Sic valida est dilectio tua*, ut usque ad mortem pro te venerim sustinendam. Sic itaque & tu dilige me, & usque ad mortem certa pro veritate. Unde & moriuntur ejus filii, qui sunt Martyres Dei, quique pro eo suas animas posuerunt.

CCXXII. DURA UT INFERUS ÆMULATIO.

Ac si diceret, quoniam tanta pro te pertuli, ut per justitiam te desponsarem mihi, & ab idolorum fallacia liberarem. De cetero me respice, & secundum David: *Obliviscere populum tuum & domum patris tui*, quatenus Synagogæ crimen effugias. *Ipsi enim zelati sunt in .... Diis, exacerbaverunt me in Idolis suis*, & ego zelabo eos in te. Durus vero factus est utique zelus ille sicut inferus, præsumpserunt etenim post resurrectionem dissuadere militibus, dantes eis pecunias, ut mentirentur, & dicerent: *Quia nobis dormientibus nocte discipuli ejus rapuerunt eum*.

Ps. 44. v. 11. *V. Ps. 77. v. 58.* *Ezech. cap. 20.* *Matth. cap. 28. v. 13.*

CCXXIII. CIRCUMSEPTA EJUS CIRCUMSEPTA IGNIS FLAMMÆ EJUS.

Circumsepta sponsæ sanctos vocat Apostolos, in quibus totius orbem terræ transcurrit. Ignem autem flammæ eos dicit. Ipse namque est, qui *facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem urentem*: ministri vero ejus sunt secundum David, qui ejus faciunt voluntatem, ait enim: *ministri ejus, qui faciunt voluntatem ejus*; quis ergo plus ab Apostolis voluntatem Domini fecit? vis autem eos revera ignem factos agnoscere? Adtende quemadmodum in Actibus Apostolorum apparuit eis Spiritus Sanctus divisus linguis igneis, & prophetabant, & loquebantur magnalia Dei.

Ps. 103. v. 4. *Ps. 102. v. 21.* *Act. Ap. cap. 2.*

CCXXIIII.

CCXXIIII. AQUA MULTA NON POTERIT EXTINGUERE CARITATEM.

Qui fecundum Deum poffident caritatem, licet temtationes fuper fe videant venientes, tamen, inftar aquæ, non extinguitur a Chrifti dilectione: ait enim Apoftolus: *Quis nos feparabit a caritate Dei? tribulatio, an anguftia? perfecutio, an fames? an periculum, an gladius?* & reliqua. *Ad Rom. cap. 8. v. 35.*

CCXXV. ET FLUMINA NON INUNDABUNT EAM.

Vox eft dominica dicens: *omnis enim qui audit verba mea, & facit ea, affimilabitur viro fapienti, qui ædificavit domum fuam fuper petram.* Defcenderunt pluviæ, venerunt venti & percufferunt domum illam, & non cecidit, fundata enim erat fuper petram, propterea fiquidem flumina inundare non poterunt caritatem Chrifti, quæ eft tanquam petra valde firmiffima. *Matth. cap. 7. v. 24.*

CCXXVI. SI DEDERIT VIR UNIVERSUM VICTUM SUUM IN CARITATE, CONTEMPTU CONTEMNENT EUM.

Hæc prophetia de illis eft, qui in mundo funt divites & abrenuntiantes feculo propter fpiritalem caritatem, omnem victum fuum pauperibus præbent, ut domini verba confervent. Ifti fiquidem ab infipientibus contemnuntur, ficut Paulus, qui omnia damnum effe credidit, ut Chriftum folummodo lucraretur: dixit enim: *velut purgamenta facti fumus.* Sicut & Dominus Jefus omnem vitam pro caritate noftra dedit, exuit enim fe principiis & poteftatibus, & propter nos pauper effectus eft, formam fervi accipiens, & contemptus eft ab Scribis, Pharifæis, & ab Herode Rege, ficut fcriptum eft: *contemnens autem Herodes remifit eum ad Pilatum.* *1. ad Corinth. cap. 4. v. 13.* *Luc. c. 23. v. 11.*

CCXXVII. SOROR NOSTRA PUSILLA, ET UBERA NON HABET.

Quando anima parvula in Christo crediderit, & divinorum præceptorum nondum integritatem perceperit, neque duorum Testamentorum cognitionem habuerit, de ista hoc verbum recte poterit dici, quoniam nondum crevit fide duorum Testamentorum. Verumtamen non ab hoc abicitur, sed etiam ipsam proficere deprecatur, ut possit esse perfecta. Si enim solummodo timorem Domini habuerit anima, licet scientia minor sit, non tamen propterea reprobabitur, ait enim: *Melior est timoratus, qui sapientia minor est, quam abundans mali-*
Eccl. cap. v. 21. *gnitate; & transgressor legis*. Cur hoc? quoniam non auditores legis apud Deum justi sunt, sed factores. Caritatem ergo habeat anima, & Soror vocabitur Unigeniti; licet non habeat
1. ad Corinth. cap. 8. v. 1. scientiam multo experimento collectam. *Scientia enim inflat; caritas autem ædificat*.

CCXXVIII. QUID FACIEMUS SORORI NOSTRÆ IN DIE, QUA LOQUENDUM EST IN EA?

Hic Prophetæ & Sacerdotes tristes de Synagoga dicunt: *Quid faciemus sorori nostræ in die, qua loquendum est in ea?* hoc est, quando iratus Dominus ei dicturus est: *Hierusalem*
Matth. cap. 23. v. 37. 38. *Hierusalem, quæ Prophetas occidis, & eos, qui ad te mittuntur lapidas, quotiens volui colligere filios tuos quemadmodum gallina pullos suos sub alas suas, & noluistis? ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*. Videntes ergo eam spiritu desertam hoc jam ex tunc recte dicebant.

CCXXVIIII. SI MURUS EST ÆDIFICEMUS SUPER ILLAM LAMINAS ARGENTEAS.

Ac si diceret, si per incredulitatem desolata non est, sed fide murata fuerit antiquorum patrum, *laminas argenteas*, idest Apostolos super ædificemus ei, quos propter splendorem eorum & munditiam sic vocavit.

CCXXX.

CCXXX. ET SI OSTIUM EST DESCRIBAMUS SUPER ILLAM TABULAM CEDRINAM.

Sed neque ostium est, quando eum qui dixit: *Ego sum janua*, non suscipit. Ut autem scias quia neque ostium est, vide quia & velum templi scissum est, dum enim januam foris portam suspenderunt ostium probatur esse superfluum. Quod autem ait: *describamus super illam tabulam cedrinam*, tale est ac si diceret: corpus Unigeniti inputrescibile & incorruptibile figuremus in ea, nunc autem neque murus neque janua, sed deserta est. Hic itaque sponsa extra opprobrium illud existens emergit & dicit. *Jo. cap. 10. v. 9.*

CCXXXI. EGO MURUS ET UBERA MEA SICUT TURRES.

Ac si diceret: ego firmitas fidei, & opera mea, quæ ex duobus facere didici Testamentis, velut turres, in sublimitatis culmine sunt evecta. Sicut audivit Cornelius: *Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam coram Domino*. *Act. c. 10. v. 31.*

CCXXXII. EGO ERAM ANTE OCULOS EJUS TAMQVAM INVENIENS PACEM.

Pacem utique invenit Ecclesia quando audivit ab eo: *Pacem meam do vobis; pacem meam relinquo vobis*. *Jo. c. 14. v. 27.*

CCXXXIII. VINEA FACTA EST SALOMONI IN BEELAMON.

Rursus Prophetæ post quam viderunt desolatam Hierusalem, Ecclesiamque plantatam, dicunt: *Vinea facta est Salomonis*. Salomon autem est Christus, qui pacificavit universa. Non autem tacet de vinea, sed dicit etiam ubi sit facta: idest, in Beelamon, quod interpretatur, vir justus. Vir autem justus factus est Sermo Dei incarnatus; in illo siquidem viro tota

tota vinea esse videtur secundum Hesaiam dicentem: *Vinea* *Isaias c. 5. v. 7.* *Domini Sabaoth domus Israel est*. Propterea etiam dicebat Apostolis: *Ego sum vinea, vos vero palmites*, qui per loca sin- *Jo. c. 15. v. 5.* gula cultore Patre plantati sunt in Beelamon, idest in Christo.

CCXXXIIII. DEDIT VINEAM SUAM CUSTODIENTIBUS.

Hoc est, mandata servantibus, sicut in Evangeliis, ait ad *Matth. cap. 21. v. 43.* Judæos: *Auferetur a vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus ejus*.

CCXXXV. VIR ADFERT IN FRUCTU EJUS MILLE ARGENTI.

Hoc est, mente ipse sapiens custodiens vineam, idest omnis doctor in suo magisterio fructificavit Ecclesiæ perfectum numerum: hoc est, *mille argenti*.

CCXXXVI. VINEA MEA MIHI IN CONSPECTU MEO, MILLE TUI SALOMON, ET DUCENTI HIS, QUI SERVANT FRUCTUM EJUS.

Hic Dominus dicit: Ecclesia mea & populus meus coram me; ait enim: *oculi Domini super timentes eum & aures* *Ps. 53. v. 16.* *ejus ad preces eorum*; quod autem ait: *mille Salomoni, & du-* *Matth. cap. 19. v. 28.* *centi his, qui servant fructum ejus*; perfectionem fructuum patrisfamilias adsignavit, partem vero custodibus, hoc est Apostolis sicut dixit eis: *Sedebitis & vos super duodecim sedes* *1. ad Corinth. cap. 11. v. 1.* *judicantes duodecim tribus Israel*.

CCXXXVII. QUI SEDES IN HORTIS.

Postquam monstravit Apostolis eorum fidei dignitatem, tunc etiam excitat singulorum locorum Episcopos dicens: *qui* *1. ad Cor. c. 4. v. 16. c. 11. v. 1.* *sedes in hortis*, velut excitans eos ad Apostolicum cursum, sicut & Paulus ait: *imitatores mei estote, sicut & ego Christi*.

CCXXXVIII.

CCXXXVIII. SODALES ATTENDENTES EUM.

Non ſolum autem Epiſcopos, ſed etiam Presbyteros & Diaconos exhortatur, ſecundum Apoſtolum, ut in eorum veſtigia ambulantes, & illos imitantes cum eis regnum mereantur. Deinde ſponſa faciens omnem dialogum ita loquitur.

CCXXXVIIII. VOCEM TUAM AUDITAM FAC.

Ac ſi diceret, non enim ſufficit iſtorum doctrina ſolummodo, ſed etiam præſidio tuæ vocis induci in die noviſſimo, quando tuba concinerit, & omnia membra mea ſurrexerint e *1. ad Cor. c.15.* ſepulchris, in lætitia ſempiterna; ait enim: *Surgent mortui*: *v. 52.* & ſuſcitaverunt, qui in ſepulchris ſunt; & lætabuntur...... enim quod abs te eſt ſalus eis eſt.

CCXL. FUGE FRATRUELIS MEUS.

Hoc eſt: in cælum e mundo accelera rurſus aſcendere.

CCXLI. ET SIMILIS ESTO CAPREÆ, AUT HINNULO CERVORUM AD MONTES VALLIUM.

Cervorum ad montes vallium. Hoc eſt, quaſi caprea ſic coram Apoſtolis relinquens terram cælos aſcendit. Hinnulus autem cervorum venenoſarum beſtiarum interemptor eſt. Sic & omnem adverſarium virtutum calliditatem ſolvens ſupra convalles montium habitabit. Hoc eſt amœnitatem ſuorum, dicebat enim Deus & inhabitabo in illis: ſic & inambula inter ſuos in ſecula ſeculorum. Amen.

EXPLICIUNT COMMENTARIA EPIPHANII EPISCOPI IN CANTICA CANTICORUM.

ET

Si c Cod.

ET SUSCRIPTIO EJUS.

Mementote mei in lectione : & si quid transiit me velut hominem, emendantes ignoscite domini mihi & opto vos valere,Fratres.Salutatio mea secundum Apostolum ' Gratia Sancti Spiritus vobiscum, Fratres carissimi . Amen . Deo Gratias.

INDEX

(1) S. EPIPHANIUS similiter Panarium, finit, & Ancoratum suum. *In expositione* Fidei, quæ ultimum locum in *Panario* tenet, §. 19. hæc sunt. *Verum id a vobis omnibus, qui hac nostra lecturi estis, magnopere precor, ut mentis meæ tenuitati, imbecillitatique condonare velitis &c.* Ultima autem totius operis verba hæc sunt · *Pax Domini nostri Jesu Christi, gratia, & veritas, secundum ejus mandatum, cum omnibus vobis perpetuo sit, honestissimi & carissimi fratres. Amen.* Ancoratus vero ita definit: *Ego vero, Fratres Carissimi, quamvis tenuissima facultate & imbecillis viribus ingenii sim præditus ad ea me conferre humanitatis probitatisque vestræ cohortatione sum coactus: quæ nos, licet minime idoneos, supra captum modumque nostrum efferri compulit, adeo ut in tanta contentione singulari quodam præsidio nobis opus fuerit. Verum novit omnia qui in cælo fidelis est.* Attamen pax omnibus esto qui hac regula *vera ac Catholica fidei hujus*, incedunt & super Israel Dei. *Salutate sanctos omnes in Domino &c.*



INDEX

LOCORUM S. SCRIPTURÆ.

EVANG. MARC.

EVANG. LUC.

EVANG. JOANN.

ACTA APOST.

EPIST. AD ROM.

INDEX RERUM.

Dia-

Lam-

Salo-

ADDENDA ET CORRIGENDA.

In Præfat. pag. XXVII. *lin.* 23. *adde*: interfuerunt: & PHOTIUS Cod. CCII. Joannis Episcopi Carpathiorum meminit, variorum librorum auctoris, cujus *Opus Consolatorium*, ex maxima parte jamdiu editum habemus. Quo tempore Joannes floruerit incertum est, sed ineunte seculo VIII. recentior non videtur. *Pag.* 2. *not.* 1. *lin. ult. adde*: nec non in lib. de Ponderibus & Mensuris §. 4. tom. 2. pag. 162. *Pag.* 16. *lin.* 9. *lege*: DILEXERUNT TE, TRAXERUNT &c. *Pag.* 23. *num.* 1. *lin.* 9. *lege*: quod S. EPIPHANIUS idipsum sentiret, constat &c. *Pag.* 28. *lin.* 8. *lege*: coæquata. *Lin.* 9. *lege*: quo Divinitati. *Pag.* 38. *lin.* 12. *lege*: VITES. *Pag.* 39. *n.* 2. *lin.* 3. *lege*: corpore demonstravit. *Pag.* 42. *lin.* 18. *lege*: VOCAVI EUM, ET NON AUDIVIT ME &c.

